



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ernesti Schvberti S. Th. D. Et Prof. Primar.  
Academ. Helmstad. Abbatis Coenobii Ad Lap. St. Mich.  
Sem. Theol. Directoris Institvtiones Theologiae Moralis**

**Schubert, Johann E.**

**Ienae [u.a.], 1759**

Caput IV. De Officiis Christianorum in statu œconomico

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50801](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50801)

cum bruta crudeliter affligimus & excruciamus, cum ea occidimus, licet nec noceant nec profint nobis, cum res nobis aut proximo utiles ex mera petulantia perdimus, cum præsertim eas, quas divina bonitas ad vitæ nostræ conservationem nobis porrigit, contempnimus, & corrumpimus. Hic rerum abusus, cui omnia fere subjecta sunt hominum vanitate & malitia, Deo tantopere displicet, ut & ex hac ratione præsentem rerum faciem immutare decreverit. Rom. VIII. 19. seqq.

---

CAPVT IV.

DE

OFFICIIS CHRISTIANORVM  
IN STATV OECONOMICO.

§. CXIII.

**E**a nunc est mortalium conditio, ut nisi a se invicem mutuo juventur, illis pereundum, aut miserrime vivendum esset. Et quanquam ad auxilium aliis, qui eo indigent, sponte ferendum quisque legibus Christianorum obligetur, (§. 99.) hoc tamen negotium facilius ac felicius procedit, si nonnulli ad communem finem conjunctis viribus consequendum singulari & arctiori vinculo uniantur. Hoc vinculum

Societates  
& status inde dependentes.

culum & ipse nexus quispiam naturalis & spontaneum pactum esse potest, quo posteriore nonnunquam eo magis opus esse constat, cum sine eo nonnulla officia ab aliis nec peti nec expectari possint. At vero omnis unio plurium personarum ad communem finem conjunctis viribus consequendum inita dicitur SOCIETAS. Quare cum societates in primo legum naturalium principio suum fundamentum habeant, (§. 17.) leges vero naturæ nullis positivis abrogari possint, (§. 18.) quin potius Deus, felicitatis nostræ valde cupidus, omnia approbet & velit, quibus ea vere promoveri queat, manifestum est, *non esse contra voluntatem Dei, sed illi potius quam maxime convenire, ut Christiani in varias societates coalescant.* Quemadmodum autem hæc Dei voluntas ex fine societatis cognoscitur,

1. *Ita non omnes, sed illæ duntaxat societates, Deo placent, quarum finem approbat, quique aut immediata nominis divini glorificatio, aut ipsa hominum felicitas, spiritualis vel temporalis, est.* (§. 17.)

2. *Cum ad hunc duplicem finem omnes hominum actiones tendere debeant, (§. 17.) fieri autem possit, ut extra societatem aut plane non, aut minus plene obtineatur, simul adest obligatio, hujus generis societates ingrediendi.*

3. Ex:

3. Existentibus iis homines societate uniti novas relationes tum ad se invicem tum ad communem finem nanciscuntur, quæ STATVM EJUS SOCIALEM constituunt. In hoc autem statu simul ratio variorum OFFICIORVM continetur, quæ HYPOTHE- TICORVM nomine venire solent. Nam leges sunt propositiones universaliores, quæ actionum ad aliquod genus pertinentium moralitatem determinant. (§. 15.) Status vero socialis multas actiones, alias non necessarias, aut non possibiles, monstrat, quæ ad aliquod genus lege definitum pertinent. Inde conclusiones specialiores eliciuntur, quæ pariter rationem legum habent. (§. 17. num. 2.) Cum igitur omnis actio lege determinata officium sit, (§. 38.) dubio caret, quin a sociali statu nova dependeant officia.

4. Ipsæ vero societates in SIMPLICES & COMPOSITAS dispesci possunt. Illæ ex singulis personis, hæ ex integris societatibus aliis componuntur. Sic & pro fundamento habent aut ipsius naturæ conditionem, aut pactum spontaneum. Inde oriuntur societates NATVRALES & ARBITRARIÆ. Denique vel ad temporalem vel ad spiritualem & æternam hominum felicitatem tendunt. Hinc societates dantur SECVLARES & SPIRITVALES.

5. Fieri potest, ut officia ad diversas il-

*Sub. Theol. Moral.*

B b

las

las societates pertinentia simul præstari nequeant. Hac existente officiorum collisione cum illud præferri debeat, cuius adimplendi majora & fortiora adsunt motiva, (§. 39.) socialia vero officia ex necessitate & gravitate finis societatis æstimanda veniant, patet, *illud officiorum genus præferendum est, quod societas magis necessaria & graviolem habens finem sibi vindicat.*

6. Simplicissimæ & magis necessariae societates sine dubio sunt CONIUGALIS & PATERNA, ad quam plerumque accedere solet HERILIS. Quæ si omnes, aut nonnullæ tantum uniantur, oritur societas composita, quam FAMILIAM dicimus. Status autem, qui inde nascitur, est OECONOMICVS. Et officia, quæ huc pertinent, iam perstringenda erunt.

Vitam sociale a Deo approbari, & ex parte etiam præcipi, patet tum ex divina quarundam societatum institutione, Gen. I. 27. 28. II. 22. 23. 24. Act. XVII. 26. tum ex legibus ad conservandas societates latis Rom. XIII. 1. seqq. tum ex natura regni Christi spiritualis, quod politias humanas in legibus naturæ fundatas, non tollit, Jo. XVIII. 36. tum denique ex mandato divino, ut quisque in eo statu perseveret, in quo ad sacra Christianorum vocatur, I. Cor. VII. 20. Itaque minus recte agunt, qui

qui vitam solitariam sibi eligunt. Quamquam enim fieri potest, ut quis circumstantiarum ratione ab humana societate aliquamdiu separetur, aut hanc illamve societatem ingredi prohibeatur, nemo tamen aut ex opinione majoris perfectionis, quæ vitæ solitariæ forsan inesse creditur, aut ex alia quacunque causa solitudini & separationi perpetuæ sese devoteat. Qui vero societatem ingredi secum constituit, ante omnia exploret, num finis societatis Deo placeat, num sibi vires sufficiant ad officia in hoc statu adimplenda, numque consultius sit, nexum sociale contrahere, an vero id in aliud tempus differre. Gravitatis finium in societate consequendorum æstimanda est 1. ex relatione finis ad gloriam Dei & hominum salutem, 2. ex relatione ipsius societatis ad alias societates, quatenus una alteram supponit, & sine ea existere non potest, 3. ex amplitudine & extensione finium.

§. CXIV.

MATRIMONIUM seu CONIUGIUM est societas hominum diversi sexus, ad procreandam & educandam sobolem inita. Dicitur etiam SOCIETAS CONIUGALIS. De qua

Matrimonium.

1. Tenendum, educationem liberorum nun-

Bb 2

quam

*quam separari posse ab illorum procreatione.*  
 Cum enim homines recens nati aliorum sustentatione, cura, & institutione opus habeant, eaque deficiente aut statim rursus perirent, aut obbrutescerent, omnique felicitate, ad quam homo creatus est, carerent, ille, qui liberos procreare, sed non educare vellet, numerum creaturarum ratione præditarum auget quidem, sed simul in miserrimum & infelicissimum statum transponeret, & gloriam Dei, quæ per eas manifestari potuisset, impediret. At vero id prima & præcipua officiorum tum erga Deum tum erga proximum principia vetant. (§. 69. 99.) Ergo qui liberos procreare intendit, eos simul educet necesse est. 2. Cor. XII. 14. 1. Tim. V. 8. Eph. VI. 4. Tit. II. 4.

2. Cum itaque educatio sobolis procreationem supponat, ab ea vero separari non debeat, *finis matrimonii primarius & maxime principalis procreatio & educatio liberorum.*

3. Quia vero *mutuum adiutorium* huic fini non repugnat, verum potius educationem sobolis multum iuvat & promovet, *illud quoque ad fines matrimonii, quamquam secundarios, referri potest.* Gen. II. 18. Eccl. IV. 9.

4. Procreatione & educatione liberorum numerus eorum augetur, qui Deum cele-

celebrare, gloriam ejus illustrare, & alios homines juvare possunt. Cumque Deus præterea mox ab initio homines diversi sexus creaverit, cujus ratio & finis nihil aliud esse potest, quam procreatio liberorum, a qua educatio nunquam est separanda, cum porro ipse voluerit, ut primi homines suum genus propagarent, atque ideo hunc statum sua benedictione sanctificaverit, Gen. I. 27. 28. II. 21. 22. 23. cum & legibus officia conjugum definiverit, Exod. XX. 14. Deut. V. 18. Matth. XIX. 4. seqq. Eph. V. 22. seqq. itemque parentum & liberorum officia erga se invicem præscripserit, Exod. XX. 12. Matth. XV. 4. Eph. VI. 1. seqq. & pietatem parentum beneficiis in liberos conferendis compensare promiserit, Exod. XX. 6. denique liberi singulare Dei donum esse prædicentur, Ps. CXXVII. 3. *nemo dubitare potest, quin matrimonium sit status Deo acceptus.*

5. Imo vero hic status non tantum Deo placet, sed etiam, cum ab ipso Deo institutus & amplissima promissione ornatus sit, Gen. I. 27. 28. II. 18. seqq. sine eo mortalium genus brevi tempore interiret, & in eo solo multa officia a Deo præcepta adimplendi occasio subministratur, quæ ad gloriam Dei illustrandam & hominum felicitatem promovendam multum faciunt, *quisque ad matrimonium ineundum obligatur*

*gatur, nisi rei impossibilitas, necessaria ad bonum statum requisita, aut alia legitima causa ob-  
stent.*

6. *Hinc male agunt, qui se ipsos aut alium matrimonio interdicunt. Dan. XI. 37. Rom. I. 27. I. Tim. IV. 3.*

Etiam si nullum extaret mandatum, liberos suos alendi & educandi, tamen cum in parentibus sit *φρονή*, h. e. naturalis amor erga prolem, cum illis jura in liberos competant, quæ alios impediunt, quo minus eorum curam in se devolvere possint, cumque nemo omnium liberorum, qui nascuntur, sed nonnullorum duntaxat curam gerere possit, ideoque opus sit singulari vocatione, ad hos non alios educandos, hæc autem vocatio ex sola divinæ providentiæ dispositione, ut hi liberi hos habeant parentes, cognosci possit, satis patet, ad eos qui liberos procreant, simul pertinere eorum curam & educationem. QVI A MATRIMONIO ABSTINENT, licet necessariis ad illud contrahendum requisitis non careant, aut molestias cum matrimonio connexas subire nolunt, aut majorem cælibatui & virginitati perfectionem inesse credunt, aut se voto quodam edito impediti putant. Molestiarum formidine qui matrimonio cælibatum præfert, nullo modo excusari potest. Nam nemo sibi ipsi soli  
vivit

vivit, sed potius aliis, 1. Cor. X. 24. 33. \*  
Phil. II. 4. & matrimonium a Deo institutum est, nobisque multiplicem occasionem offert, Deo & proximo inserviendi. Hunc ergo statum qui fugit, ne quid incommodi sibi sentiendum sit, certe se magis amat, quam Deum & proximum. Cælibatu autem singularem vitæ sanctimoniam majoremque perfectionem contineri, falsa est persuasio. In se enim est abstinencia a societate, quam ipse Deus approbavit, instituit, & sanctificavit; a societate, qua humanum genus conservatur, & regnum Christi amplificatur; & a multis gravissimis officiis, quibus Deus colitur, respublica juvatur, multisque hominibus inservitur. Nec objici potest, conjuges stimulo & desiderio concumbendi indulgere, cælibes autem ab hac re prorsus abstinere. Primum enim sicuti concubitus in se res mala non est, ita nec stimulus aut desiderium concumbendi in se quicquam mali esse poterit. Nimia tantum & præpostera hujus rei concupiscentia vitio laborat. Secundo qui stimulum concumbendi non sequitur, aut sentit eum, aut non sentit. Si non sentit, continentia, de qua gloria-tur, nihil virtutis nihilque laudis habet. Si vero sentit, hæc ipsa concupiscentia, quæ libidinosos affectus continuo excitat, nisi restringatur, jam est mala, Matth. V.

28. XV. 19. & tunc melius esse, docet nos Apostolus, matrimonium contrahere, quam abstinere. 1. Cor. VII. 2. 9. Sunt, qui putant, rebus œconomicis qui distracti sunt, Deum non posse colere, quemadmodum oportet. Nec diffiteor, dari homines, qui nimio rerum terrenarum & œconomicarum cura se abstrahi patiuntur a cultu divino. Luc. XIV. 18. 19. 20. Sed potest in his rebus modus teneri, sic ut homo negotiorum domesticorum rationem habeat, & Deum tamen colere non negligat. Quod si fecerit, ipsa rerum œconomicarum cura Deum colit. Deus enim non solis officiis, quæ ipsum pro immediato objecto habent, sed & officiis erga nos ipsos & proximum coli vult. Hinc & qui solo Dei cultu, ut dicitur, immediato occupatur, & negligit officia erga se & alios, Deum vere non ita colit, quemadmodum oportet. Accidit tamen, ut accessoriæ & transitoriæ circumstantiæ matrimonium quandoque reddant difficilius & periculosius. Id si evenerit, illis, qui dono continentiae non carent, ipse ex libitum aut virginitatem suaderem. Sin vero hoc dono destituti fuerint, omnes difficultates & pericula contemnant, & matrimonium contrahant, ne continuis tentationibus vexentur. Atque sic, puto, intelligenda esse verba Christi, Matth. XIX.

**II. 12.** & Apostoli. **I. Cor. VII. 1-9. 25.** seqq. Voti forsitan emissi obligationem qui timet, ille sciat, ab eo in se spectato nullam pendere obligationem, sed tantum obligandi vim habere, si actioni Deo promissæ nihil mali inesse videatur, sed potius bona esse præsumi possit. (§. 37.) Quod si ad cælibatum voto confirmatum applicemus, constat ex antecedentibus, matrimonium in se & absolute non esse præceptum omnibus, sed quandoque intervenientibus circumstantiis quibusdam disuaderi posse. Constat vero etiam, illud respectu eorum non amplius esse indifferens, qui desiderio alterius sexus & stimulo concumbendi vexantur. Qui ergo cælibatum voverunt, nec se tentationibus obnoxios esse sentiunt, in cælibatu perseverent. Sed qui internis concupiscentiis urgentur & consumuntur, sciant, se nulla voti obligatione teneri. Sic etiam voti vinculum rumpendum esse statuo, si quis cælibatum ex falsa & superstitiosa opinione aut singularis sanctitatis præsumptione voverit. Votum enim in re indifferente, aut quæ talis esse videtur, omnem obligationem ex reverentia erga Deum trahit. Cæterum multo magis peccant, qui sacerdotibus matrimonium prohibent, & a nonnullis irrevocabile perpetui cælibatus votum exigunt. Hi enim **I. Conscientias legibus**

constringunt, quas scriptura ignorat;  
 2. Homines jure suo naturali privant;  
 3. Aut ipsum matrimonium damnant, aut  
 contra scripturam, iniquum esse dicunt,  
 sacerdotes uxorem ducere; 4. Aut eccle-  
 siam idoneis ministris carere cogunt, aut  
 sacerdotes impuris libidinum flammis ex-  
 cruciari patiuntur, variisque impuritatibus  
 peccatis latam portam aperiunt; 5. Deni-  
 que doctrinam tradunt, quam scriptura  
 diabolicam vocat. 1. Tim. IV. 1, 3.

## §. CXV.

*Castitas.*

Sine consuetudine cum altero sexu li-  
 beri procreari nequeunt. Cum ergo De-  
 us ipse matrimonium instituerit, cujus fi-  
 nis primarius est procreatio liberorum,  
 (§. 114.) & consuetudo illa sine dubio recte  
 & licite appeti potest. Sed nec impossi-  
 bile est, ut & ex illegitimo fine appetatur.  
 Quare cum Deus homines diversi sexus ab  
 initio creaverit, ut genus suum propaga-  
 rent, suosque liberos in ipsius honorem  
 educarent, (§. 114.) ipsius etiam voluntas  
 est, ut conjunctio cum altero sexu ex hoc  
 fine desideretur. Habitus autem, deside-  
 rium alterius sexus ita temperandi, ut le-  
 gitimi finis consideratione dirigatur, ca-  
 STITAS appellari solet. *Ergo & Christiani  
 castitati studendum est.* 2. Cor. VI. 6. Gal. V.

22. Phil. IV. 8. 1. Tim. IV. 12. V. 2. 22.  
Tit. I. 8. II. 5. 12. 1. Pet. III. 2. Jac. III. 7.

Si quis igitur

1. Stimulum cum altero sexu congregiendi in se sentiat, nec graviora & legitima matrimonii contrahendi impedimenta adsint, *hoc stimulo utatur ad matrimonium appetendum & ineundum.* 1. Cor. VII. 2. 9.

2. Sin vero occasio contrahendi matrimonii desit, aut necessaria ad hunc statum requisita deficient, aut denique ingentia damna & pericula ex præcipitato conjugio metuenda sint, *det operam, ut affectum suum cœrceat, donec oportunum tempus & commodior occasio societatem conjugalem ingrediendi adsit.*

3. Nunquam autem consuetudini cum altero sexu solius voluptatis causa indulgeat. Quod turpitudinum genus qui exercet, FORNICARI dicitur. *Hinc ratio constat, cur quisque sibi a fornicatione cavere debeat.* Deut. XXIII. 17. 1. Cor. VI. 9. 10. Gal. V. 19. Eph. V. 3. 1. Theff. IV. 3. 4. Ebr. XIII. 4.

4. Quemadmodum vero non tam corpore quam anima peccatur, (§. 44.) ideoque ille adulterium jam commisisse dicitur, qui alienam mulierem tantum desiderat, Matth. V. 28. ita & idem de fornicatione sentiri debet. *Quapropter a Christiano alienum sit, hanc voluptatem carnalem*  
*sine*

*sive ordine ad finem legitimum concupiscere, colloquiis impudicis actionibusque libidinosis delictari, loca adire, ubi istæ impuritates exercentur, aut aliam quamcunque speciem præferre, ac si in illis haberet beneplacitum. Tit. II. 12. Rom. XIII. 13. 2. Pet. II. 18. Eph. V. 4. 5. 7. Sir. XXIII. 5. XXVI. 12. 13.*

*5. Multo magis fugiendi sunt actus libidinosi, qui ordinem naturæ invertunt. Lev. XVIII. 23. Rom. I. 26. 27.*

Sicuti castitas non satis commendari potest, ita de opposito vitio, & dum impugnamus illud, caute loquendum est, ne castæ aures offendantur, aut pravæ aliorum impuritates irritentur. Sufficit ergo observasse, CASTITATEM, quæ & CONTINENTIA in sensu strictiori dicitur, tam in conjugio quam in cælibatu servandam ac tuendam esse, & in utroque statu violari posse. Unde falsum est, cælibatum in se esse continentiam, & a conjugibus fornicationem committi haud posse. Ipsum fornicationis vitium, quod perpetrandi habitualis dispositio LASCIVIA appellari solet, grande peccatum esse oportet. I. Cor. VI. 10. Eph. V. 5. Ebr. XIII. 4. Nec difficile est intellectu, cur tam severe in hoc vitium Deus animadvertere velit. Nam I. Deus homines diversi sexus creavit, & illorum consuetudinem destinavit ad procreationem

nem sobolis, minime vero ad percipiendas & excitandas voluptates carnales, unde, qui fornicatur, suo corpore contra fines Dei pessime abutitur; 2. *Homines* non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus sanctos esse oportet, h. e. separatos ab omni usu illegitimo, & ad cultum Dei tam immediatum quam mediatum destinatos. Rom. VI. 13. 19. Usus autem corporis & membrorum ejus ad voluptates sensuales excitandas & alendas sine dubio est illegitimus. Ergo & ex capite sanctitatis, cui studere debemus, fugienda est scortatio. 1. Theff. IV. 3. 5. Et quoniam hoc peccatorum genere sanctitas illa corporis omnium maxime violatur, illud & impuritas κατ' ἐξοχὴν, Marc. VII. 21. 23. Eph. V. 3. Col. III. 5. & peccatum in proprium corpus dicitur. 1. Cor. VI. 18. 3. *Corpora* nostra membra corporis Christi spiritualis esse, & ad sanctissimam ejus voluntatem moveri debent. At qui fornicatur, & suas & scorti concupiscentias perficit, suaque membra illius servituti mancipat. 1. Cor. VI. 15. 4. *Nec minus* corpus nostrum est templum Spiritus S., ideoque impuritatibus carnis maculari non debet. 1. Cor. III. 16. 17. VI. 19. 5. *Magno* præterea pretio redempti sumus, ut anima & corpore Deo serviremus. Quantus itaque pretiosissimi sanguinis Christi contemtus

tentus foret, si corpus nostrum ad fan-  
 ditatem redemptum turpissima libidine per-  
 deremus! 1. Cor. VI. 20. 2. Cor. V. 15.  
 Tit. II. 11. 12. 6. *Scriptura* fornicatio-  
 nem & idololatriam sæpe conjungit, 1. Cor.  
 VI. 9. X. 7. 8. & hoc ipso significat, tum  
 fornicatione diabolo serviri, eamque sin-  
 gularem cultum idololatricum esse, quem  
 gentiles exercuissent, tum fornicatione  
 viam sterna ad apertam idololatriam cras-  
 siorem, aliasque falsas & superstitiosas re-  
 ligiones, cujus rei multa extant exempla,  
 Num. XXV. 1. 2. 1. Reg. XI. 1. seqq.  
 \* 7. *Res periculi plena est*, fornicationi in-  
 dulgere. Prov. XXII. 14. Maxima enim  
 & irreparabilia damna inde nascuntur,  
 Prov. V. 3. seqq. VII. 7. seqq. XXIII. 27.  
 28. XXIX. 3. veluti mollities animi, mor-  
 bi, contemptus, jactura bonæ famæ, fa-  
 cultatum dilapidatio, dependentia ab im-  
 puris & vitiosis concupiscentiis turpissimæ  
 mulierculæ, Zelotypia, iurgia, &c. 8. *Deus*  
 impuris scortatoribus & scortis gravissi-  
 mas pœnas minatur, quæ & in hac vita  
 nonnunquam luendæ sunt. Num. XXV.  
 1. seqq. coll. 1. Cor. X. 8. 2. Sam. XIII.  
 XV. 9. *Et ex adverso* castitas maximope-  
 re laudatur, magnisque præmiis ornatur.  
 Gen. XXXIX. 7. seqq. coll. Gen. XLI. 40.  
 seqq. *STIMVLVS* ille, qui per naturam in-  
 est, olim rectam habebat relationem, &  
 impe-

imperio rationis & facultatis appetitivæ superioris subjectus erat. Sed dominium hoc, introducto peccato, excussit, jamque hominem, posthabito fine suo, ad excitandas & percipiendas voluptates sensuales impellit. Et hic impetus eo fit vehementior, quo facilius & sæpius homines eo se moveri patiuntur, nullo opposito remedio. Qui ergo in hanc servitutem redigi non vult, ille 1. *Principiis* obstet. Nam carnale hoc desiderium quo sæpius recurrit, & cum oblectatione sentitur, eo majores acquirit vires, hominemque longe impotentiorum reddit, quam ut illi resistere possit; 2. *Motiva*, quæ recitavimus, animo diligenter volvat, sibi que reddat familiaria, ut tempore tentationis in promptu sint; 3. *Fugiat* occasionem, qua desiderium hoc excitari, aut voluptas illa sentiri potest; Job. XXXI. 1. 2. Sam. XI. 2. sqq. Matth. V. 29. 30. 4. *Temperantia* in cibo & potu studeat, & mentis suæ semper compos sit; 5. *Fugiat* malum consortium, impura colloquia, gestus, & habitus, quibus cupiditates carnales irritari solent, & sic *pudicitia* studeat; 6. *Petat* a Deo cor purum & spiritum castum; Ps. LI. 12. 7. *Denique* tentationes nimias matrimonio legitime contracto temperet. 1. Cor. VII. 2. 9. Quamvis enim matrimonium minime institutum sit, ut homines impuris cupiditatibus

tatibus eo liberius indulgere possint, & minus recte agat, qui propter desideria carnis, quibus urgetur, matrimonium contrahit, minus tamen malum præfert majori, & scriptura hoc casu infirmioribus, qui vehementiores impetus sentiunt, matrimonium suadet, ut isti stimuli ad legitimum finem dirigantur.

## §. CXVI.

Monogamia.

Cum matrimonium sit societas, cujus finis primarius est procreatio & educatio liberorum, (§. 114.) per se patet, eos tantum hanc societatem ingredi posse, qui apti sunt ad sobolem procreandam & educandam. Sed quæritur, num ex duabus tantum personis, an vero pluribus constare possit? Societas conjugalitatis, cujus membra sunt personæ duabus plures, dicitur POLYGAMIA, & in POLYANDRIAM & POLYGYNIAM disceditur, quæ posterior polygamia κατ' ἐξοχήν vocari solet. Polyandria est, cum una scemina pluribus viris simul nubit; Polygynia autem, cum unus vir multas uxores simul ducit. Ex his polygamie speciebus

1. Polyandria simpliciter est prohibita & illicita. Cum enim finis matrimonii sit procreatio & educatio liberorum, (§. 114.) scemina autem non plures parere possit libe-

liberos, si plures, quam si unum tantum habeat maritum, polyandria non ex legitimo matrimonii fine iniri potest, sed tantum alendis & exsatiandis cupiditatibus lascivæ mulieris inservit, ideoque est verissima fornicatio. (§. 115.) Accedit, ex mente Christi adulterium ab eo committi, qui scēminam a marito dimissam ducit. Matth. V. 32. XIX. 9. Quanto magis adulterii reus esse debet, qui cum uxore a marito non dimissa congregitur! Taceo innumera mala & incommoda, quæ cum hoc genere matrimonii connexa sunt.

2. Sed nec minus polygynia est illicita.

Nam

a) Cum Deus conjugium institueret, primo homini unam tantum uxorem dedit. Gen. I. 27. Hoc ipso autem omnes primorum parentum liberos docere voluit, monogamiam longe perfectius matrimonium esse polygamia, primumque illud matrimonium ab ipso institutum exemplum esse, quod omnes imitari oporteat.

b) Christus Matth. XIX. 9. divortium vetat, & adulterium committi, ait, si quis, dimissa priore conjugē, alteram ducat. Hujus rei rationem redditurus provocat ad primum matrimonium, quod ex uno marito & una uxore constabat. v. 4. Si vero conjugem dimittere, & aliam ducere

Schub. Theol. Moral.

Cc

re

re ideo non licet, quia primum matrimonium erat monogamia, sine dubio voluntas Dei est, ut quilibet una uxore contentus sit.

c) Quando Apostolus iterata vice urget, Episcopum unius conjugis maritum esse oportere, 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. minime statuit, polygamiam aliis permissam esse, sed potius vitia significat, quibus carere debet, qui ad munus sacerdotale admitti vult. Itaque polygamia non minus, quam intemperantia, ebrietas, &c. inter vitia ponitur, a quibus omnes Christianos liberos esse oporteret, & quæ si in aliis forte tolerantur, in sacerdote minime toleranda sunt.

Infantibus, qui ad maturam ætatem nondum pervenerunt, matrimonium permitti non debet. Idem sentiendum est de mente captis, aliisque ad matrimonium vitio naturæ aut alia quacunque ex causa ineptis. Senio autem confecti, licet ob virium defectum liberos procreare nequeant, tamen, cum mutuum adiutorium intendant, quod ab ipso Deo approbatur, Gen. II. 18. nec libidinis causa coire velint, societate conjugali interdici haud possunt. *POLYANDRIA*, res turpissima, & inter gentes inaudita, ex utraque parte vitio laborat. Lasciva mulier se totam libidini tradit. Et

ma-

mares, qui cum ea congregantur, illius cupiditatibus tantum inserviunt. Incerta redditur proles, educatio negligitur, inimicitia, zelotypia, & cædes aluntur, multisque aliis damnis tum in œconomico tum in civili statu fertilissima est. Contra MONOGYNIAM autem varia opponi possunt. Nam & fini matrimonii non repugnare videtur, & Deus eam in populo suo toleravit. Quin & primis Christianis licitum fuit, plures habere uxores. Lex enim, ne πολύγαμος admittatur ad sacerdotium, 1. Tim. III. 2. Tit. I. 6. supponit, fuisse inter primos Christianos, qui pluribus uxoribus juncti fuerunt. Sed ad primum respondeo, minime omnia licere, quæ finem matrimonii non absolute impediunt. Alias enim & adulterium non foret prohibitum. Scilicet potest Deus societatem ab ipso institutam certis legibus limitare, quæ rationem suam in moralitate objectiva actionis præceptæ vel prohibitæ habent, licet ea nobis non semper constet. Et forte non adeo difficile foret, eam invenire. Res enim ipsa testatur, polygamiam non tam procreationis & educationis liberorum, quam voluptatis causa iniri. Est etiam illa plurium discordiarum & inimiciarum mater, quibus & educatio liberorum & officia conjugalia maximo-pere impediuntur. Et præter hæc omnia

sexus muliebris masculinum triplo, quadruplo, quintuplo, & pluries superare deberet, si licitum foret, plures ducere uxores. Hoc enim respectu paria essent omnium jura. Deus autem cuncta sic sapienter disposuit, ut sexus alter alterum aut plene aut pæne exæquet. Quod Deus in populo suo polygamiam toleraverit, ut ex Deut. XXI. 15. videre licet, sine dubio factum est, ut malum minus præferatur majori. Nec obscure id discimus ex verbis Christi. Matth. XIX. 8. Divinam autem approbationem qui inde colligeret, non recte ratiocinaretur. Qui exemplum Patriarcharum aliorumque sanctorum hominum objiciunt, illis opponere possemus exemplum primi conjugii, aliorumque sanctorum, qui erant monogami. Deinde vero nec Patres isti omnium infirmitatum expertes erant, quas Deus toleravit, non approbavit. Aut si unquam approbasset polygamiam, singulares certe & gravissimas causas, aut etiam officiorum collisionem adfuisse oportet, quæ effecissent, ut lex de monogamia ad hunc casum extendi haud potuerit. Inter Christianos primos polygamos fuisse, non nego. Sed uxores suas duxerant in gentilismo. Hinc ad fœdera christianorum conversi ex lege Christi de divortio eas dimittere non poterant. Quia tamen Deus simul vetuit, ne biga-

mus

mus munere sacerdotali fungeretur, hoc ipso satis declaravit, displicere sibi polygamiam.

§. CXVII.

Quod §. 115. de fornicatione diximus, Nuptiæ  
satis docet, id omne vetitum esse ipsa natura prohibita.  
turæ lege, quicquid turpitudinem fornicationis minuit, & peccatum hoc committendi occasionem & periculum auget. Sed nihil efficacius hoc malum operatur, quam liberior & familiarior conversatio utriusque sexus & cujuscunque ætatis hominum, præsertim si quocunque tempore sine testibus & sine violatæ honestatis opinione permittatur. Ex quo sequitur, aut plane tollendas esse illas conversationes, aut, si prohiberi nequeunt, non concedendas esse ejusmodi hominum nuptias, ne hoc prætextu ad alendas libidines, excusandas tentationes, & seductiones vel exercendas vel admittendas abutantur, sed potius graviori motivo contra hæc pericula armentur. At vero libera & familiaris conversatio hominum ejusdem familiæ aliorumque agnatorum prohiberi & impediri nequit. Ergo matrimonia quorundam agnatorum propiorum merito pro illicitis habentur. Non sine causa dixi, id tantum de quorundam agnatorum matrimoniis vale-

re. Scimus enim, totum genus humanum ex communi sanguine ortum esse, & ad communem stirpem vel propius vel remotius pertinere. Unde si omnibus agnatis, etiam remotioribus, prohibitum foret, vinculo conjugali uniri, nullæ proflus nuptiæ celebrari possent. Cum vero non facile definiiri possit, quousque extendendum sit hoc interdictum, ipse Deus Lev. XVIII. 6-18. lege sua determinavit, quarum sint istæ personæ, quarum matrimonia permitti nolit. Lex ista multis difficultatibus laborare nonnullis visa est, ideoque multas disputationes, nondum compositas, peperit. Quare necesse est, ut justis interpretationibus & observationibus illustretur. Teneamus ergo,

1. *Legem istam mosaicam, de prohibito quorundam matrimonio, ad omnes homines pertinere.* Nam

a) Constat, rationem hujus legis non ex singulari populi israelitici conditione, sed ex periculosis consuetudinibus hujus generis matrimoniorum, quæ apud omnes gentes metuenda sunt, & ex ipsorummet matrimoniorum moralitate relativa petitam esse.

b) Deus ipse testatur Lev. XVIII. 24. 25. hæc matrimonia contrahendo pollutas esse gentes, quas nunc delere decrevisset, pollutam esse terram, quam purgare vellet & hinc

& hinc piaculum esse, aliquid harum abominacionum perpetrare. Severam hanc declarationem non tantum crimina v. 19-23. enumerata, sed simul matrimonia v. 6-18. prohibita respicere, ex loco parallelo Lev. XX. 22. 23. si cum immediate præcedentibus conferatur, satis patet.

c) Cum quis in Ecclesia Corinthiaca matrimonium iniisset, quod Lev. XVIII. 8. prohibitum est, Apostolus id vehementer improbabat, eumque in Ecclesia tolerari nolebat. I. Cor. V. 1. seqq. Pari vero ratione & reliquorum prohibitionem ad omnes homines pertinere, credendum est.

2. Cum ergo certum sit, matrimonia, quæ Moses Lev. XVIII. 6. seqq. recenset, divina lege prohibita esse, quæ omnes populos, maxime vero Christianos obligat, per se patet, *hæc matrimonia ab hominibus permitti haud posse, ideoque legem istam prorsus indispensabilem esse.* (§. 18.)

3. *Sed non debet extendi ad matrimonia illarum personarum, quæ a Mose non nominantur, licet equali gradu cognatæ esse videantur.* Nam

a) Lex, qua matrimonia ex capite propinquitatis vel affinitatis prohibentur, suos limites habere debet. Cum vero isti & latius extendi, & arctius constringi possint, & ratio ignoret, ubi subsistendum sit,

in verbo Dei autem leges de matrimonii ex hac causa prohibendis extent, illæ etiam ut certissima & sufficiens revelatio considerari debent, quinam isti sint, quorum matrimonia propinquitatis vinculo impediuntur.

b) Deus primum v. 6. legem generalem proponit, de non congreduendo cum propinqua sua, quam Moses ex more apud Judæos recepto *carnem carnis sue* vocat. Quo facto inferiora sub hoc genere contenta v. 7. seqq. recenset. Quando autem sapientissimus legislator legem generaliore ad specialiora applicat, quæ a ratione ignorantur, & ex idea generis determinari nequeunt, utique omnia inferiora recensuisse merito putandus est.

c) Matrimonium cum fratria prohibetur, Lev. XVIII. 16. cum uxoris sorore autem permittitur. v. 18. Cum utrinque æqualis sit propinquitatis gradus, a personis denominatis ad non nominatas non licet argumentari, licet ejusdem sint propinquitatis.

d) Uterque casus ejusdem propinquitatis expresse nominatur, ubi tamen minor erat difficultas & incertitudo, ab uno casu ad alterum argumentandi. v. 9. 10. 12. 13. Cum ergo ex alio propinquitatis genere unus casus prohibetur, & alterius nulla fit mentio, ubi tamen identitas casus oppo-

oppositi non adeo evidens est, (ut v. 12. 13. 14.) hunc quoque posteriorem prohibitum non esse; haud immerito judicamus.

4. Quia vero ratio legis est, ne concessa propinquorum matrimonia fornicationi inserviant, aut formidinem turpitudinis, quæ libidinosis congressibus inest, minuant, vel forte penitus excutiant, in nonnullis autem Rebusp. hoc malum metuendum est, si conjugia propinquorum promiscue permittantur, quæ in lege mosaïca non expressa sunt, *magistratus politicus hujus quoque generis matrimonia prohibere potest, ita tamen, ut existente causa graviore contra hanc legem dispenset.*

5. Cæterum cohabitatio istarum personarum, quarum matrimonia Deus ex capite propinquitatis prohibuit, dicitur INCESTVS.

Hanc moralitatis nuptiarum prohibitarum rationem, quam hoc loco reddidi, uberius exposui in sing. Disp. *de Gradibus prohibitis secundum jus Naturæ Jenæ 1743.* habita. Nec parum in hac opinione confirmatus sum, lectis recentioribus scriptis doctissimorum virorum, qui in eandem sententiam ingressi sunt. Quoniam vero ratio turpitudinis ejusmodi matrimoniorum non in eorum natura absolute specta-

Cc 5 ta,

ta, sed tantum in relatione ad periculosa  
confectaria, quæ introducto peccato & ca-  
cto humano genere metuenda sunt, nisi  
provetitis & non concedendis habeantur,  
contenta est, nuptiis liberorum Adami aut  
aliis quibuscunque primorum temporum  
harum legum universalitas & inviolabilitas  
infringi haud potest. Scilicet cum leges  
naturæ duplicis sint generis, aliæ, quæ  
actionem absolute & sua ipsius natura bo-  
nam vel malam præcipiunt vel prohibent,  
aliæ vero, quæ actionum moralitatem ab  
externis relationibus & circumstantiis de-  
pendentem determinant, atque leges de  
nuptiis prohibitis ad posterius genus per-  
tineant, Deus matrimonium his legibus  
alias contrarium aut ex rei necessitate, aut  
ut majus malum evitetur, aut quia hoc ca-  
su interdicti rationem non adesse intelli-  
gebat, permittere poterat. (§. 18. Sch.)  
Ex hac causa etiam volebat, ut Israelita  
fratriam duceret, fratre nimirum sine pro-  
le mortuo, Deut. XXV. 5. seqq. licet ma-  
trimonium hoc extra hunc casum prohibi-  
tum fuerit. Lev. XVIII. 16. XX. 21. Mi-  
nime autem sequitur, ideo & nobis hoc  
genus matrimonii licitum esse, accedente  
magistratus dispensatione. Primum enim  
Deus a lege universali de non ducenda  
fratria tunc saltem discedendum esse signi-  
ficat, si frater sine liberis mortuus fuerit.  
secundo

secundo hoc casu matrimonium illud non tantum permittit, sed simul præcipit, cujus ratio ex natura Reip. Israeliticæ repetenda est; Tertio ipse solus novit, quando circumstantiæ existant, quæ exceptionem patiantur. Si quis ex ista exceptione concludere vellet, legem de non ducenda fratria solis Iudæis latam esse, ideoque Christianos non obligare, cum certe idem & de reliquis legibus sentire oporteret. Omnes enim sub eadem lege generali & in eadem serie traduntur. Nec valet exceptio, quasdam earum esse leges naturæ inviolabiles, quæ ex ipsa ratione satis demonstrari possent, alias vero tantum arbitrarias, & hinc non universalis obligationis. Ut enim taceam, ex hoc principio secuturum esse, eas tantum leges a Deo latas nos obligari, quarum ratio certa & evidens a priori constaret, sufficit, hoc loco monuisse, rationem nuptiarum prohibitarum, quæ a priori reddi potest, adeo generalem esse, ut ex ea quidem constet, matrimonia propinquorum illicita esse, minime vero, quousque extendi possit illorum prohibitio. Cum ergo ipse sapientissimus legislator hujus limites definiverit, nobis non licet eos intervertere. Ille ipse forte intellexit, aliquando non iniquum fore, ut hujus generis matrimonium alicui permitteretur. Quia vero omnibus per-

mitten-

non mittendum esset, si uni permetteretur, nisi ipse voluntatem suam semper immediate declarare vellet, horum autem matrimoniorum promiscua concessio magnum damnum humano generi haud dubie illaturum foret, sapientiæ ejus convenientissimum videbatur, illa universaliter prohiberi.

Qui leges mosaicas ad gradus extendunt, plerumque hoc argumento utuntur, quod utrinque eadem sit legis ratio. Neque ego diffiteor, ubi est eadem legis ratio, ibi & eandem legem supponendam esse. Sed tunc saltem eandem adesse legis rationem, quando casus non prohibitus cum prohibito perfecte idem est. Ad id vero non tantum idem propinquitatis gradus, sed & eadem personarum conditio & relatio requiritur. Sic ex. gr. Lev. XVIII. 14. matrimonium cum patris uxore prohibetur. Inde colligo, & matrimonium cum avunculi uxore illicitum esse, licet id non expresse prohibeatur. Si quis vero defunctæ uxoris fratris vel sororis filiam ducere vellet, idem quidem est propinquitatis gradus, sed non eadem personarum relatio, & hinc quoque casus non perfecte idem. Diversitatem rationis nos quidem non perspicimus; Potuit tamen legislator causam habere non levem, ejusdem propinquitatis unum casum prohibendi, & alterum

rum permittendi. Quod cum ex defectu interdicti merito præsumatur, Deus hanc præsumtionem & incertitudinem sine dubio sustulisset, si & matrimonia personarum non nominatarum improbasset. Quia vero conscientia ratio habenda est, (§.49.) ille, qui metuit, leges mosaicas ex intentione Dei forte & ad gradus extendendas esse, licet contraria opinio probabilior ipsi videatur, ab hoc matrimoniorum genere merito abstineat. (§. 51. num. 4.)

§. CXVIII.

*Medium illud, quo matrimonium contrahitur, sunt* SPONSALIA. *Sponsalia.* Quamvis enim quisque certo modo obligetur, ut matrimonium ineat, si nulla præsto sint impedimenta, (§.114.) in tanta tamen hominum utriusque sexus multitudine nemo cogi potest, ut præcise cum hac vel illa persona vinculo conjugali se uniri patiatur. Hinc si societatem conjugalem ingredi debent, necesse est, utriusque partis adsit consensus. Qui cum dicatur pactum, hoc autem, si matrimonium contrahendum pro fine habeat, sponsalia constituat, dubitari haud potest, quin ea sint fundamentum matrimonii. Gen. XXIV. 58. 1. Sam. XVIII. 20. seqq. Luc. I. 27. Quemadmodum autem omne pactum est promissum

missum acceptatum ab altero, & quicquid promittitur, sub variis conditionibus promitti vel acceptari potest, ita &

1. *Sponsalia variis conditionibus limitari & restringi possunt, 1. Sam. XVIII. 25. quae propterea in PVRA & CONDITIONATA dispositi solent.*

2. *Cum tamen sponsalia sint pactum de ineundo matrimonio, & hujus finis primarius ac essentialis sit procreatio & educatio liberorum, (§. 114.) ea concipi nequeunt absque reciproco promisso, liberos procreandi & educandi.*

3. *Ne vero cogitemus, reliquas hujus pacti condiciones a paciscentium arbitrio prorsus dependere, animadvertendum est, matrimonium ab ipso Deo institutum, certisque legibus circumscriptum esse. (§. 114. num. 4.) Hinc nulla sponsalia pro legitimis habenda sunt, quae legibus matrimonialibus a Deo latis repugnant. Gen. XX. 2. 3. 4. Matth. XIV. 4.*

4. *Inprimis Deus tum fornicationem tum polygamiam prohibuit. (§. 115. 116.) Ergo praecipua & vere essentialis pars sponsalium est, ut qualibet conjugum pars fidem reciprocam det alteri, seque nulli alii sui copiam facturum esse promittat.*

5. *Celebratis sponsalibus percussum est pactum de ineundo matrimonio. Cum ergo pacta sancte servari debeant, (§. 104. num.*

num. 4.) *Sponsalia quoque sequatur matrimonii consummatio.*

6. Fieri potest, ut quis cum pluribus personis sponsalia successively celebraverit. Cum igitur plures uxores simul ducere nequeat, (§. 116.) eam, quacum prius de in eundo matrimonio pactus fuerat, jure suo ad matrimonii consummationem privaret, & hinc læderet, si sponsalibus posterioribus satisfacere vellet. At vero nemo lædendus est. (§. 99.) *Ergo sponsalia posteriora sunt illegitima, iisque semper præferri debent priora.*

Sponsalibus non tantum de capite rei, h. e. de contrahendo matrimonio convenitur, sed etiam, cum mutuum adjutorium illius sit finis secundarius, (§. 114. num. 3.) hujus conditiones, quin & jura & dignitas tam conjugis quam liberorum procreandorum definiri possunt, unde oriuntur MATRIMONIA AD MORGANATICAM, cum concubinato aut fornicatione non confundenda. Celebratis sponsalibus nihil restat, quam MATRIMONII CONSUMMATIO, quæ & NATURALIS & ARBITRARIA esse potest. Illa est ipsa COPULA CARNALIS, qua nexus conjugalis vere inchoatur; Hæc autem consistit in PUBLICA DECLARATIONE, lege civili præscripta, has personas matrimonium nunc inire, &  
ab

ab hoc tempore pro legitimis conjugibus habendas esse. In civitatibus christianis hæc ceremonia *copula & benedictione sacerdotali* peragitur. Cumque hæc constitutio ad bonum ordinem & conservandam honestatem multum faciat, hujus ætem generis leges civiles divinis confirmantur, (§. 29.) copula carnalis, quæ sacerdotalem præcederet, sine dubio iniqua foret, & pro fornicatione merito haberetur. Ut autem sponsalia sequi possit matrimonii consummatio, 1. *Illam oportet esse legitimam*, quorsum pertinet, ut legibus divinis non sint contraria, ut nemo per ea lædatur, ut paciscentes sui sint juris; 2. *Quicquid & ratione accidentalium recte promissum est, adimpleatur*. Sub hac enim conditione de matrimonio contrahendo conventum est. Deficiente autem conditionis adimplerione, altera pars non potest cogi ad servandum pactum.

## §. CXIX.

Officia  
conjugum  
generaliora,

Simulac personæ, quæ fidem sibi invicem dederunt, societatem conjugalem ingrediuntur, quælibet pars alteri præstet officia, tum ex fine matrimonii, tum ex sponsalium conditione, tum denique ex legibus a Deo immediate latis determinanda. Ergo

I. De

1. Debitum conjugale sibi invicem præstent; (§. 114.) 1. Cor. VII. 3. 4. 5. Gen. I. 28.
2. Liberos procreatos conjunctis viribus educant; (§. 114.)
3. Maximo amore se invicem amplectantur; Eph. V. 28. 29. Col. III. 19.
4. Abstineant ab omnibus læsionibus; (§. 99. num. 2.)
5. Inprimis fidem sibi datam servant, nemini corporis sui copiam faciant, & hinc abstineant ab adulterio; (§. 118. num. 4.) Exod. XX. 14. Ebr. XIII. 4.
6. Et quicquid præterea promissum est, sancte servetur.

Cum matrimonium minime institutum sit ad explendas libidines venereas, neutra pars alteram cogere potest, ut sibi ad voluptates carnales percipiendas, & hinc ad fornicationem inferviat, quamquam nec facile altera alteri debitum conjugale denegare debeat, ne pars tentata in graviora mala ruat. 1. Cor. VII. 2. seqq. Amor conjugalis omnium maximus esse debet, tum quia conjuges sunt una caro, Gen. II. 24. Matth. XIX. 5. 1. Cor. VI. 16. Eph. V. 31. tum quia altera pars alterius fortunæ perpetua est focia, eamque participat, tum quia hic amor talis esse debet, qualis est Christi erga Ecclesiam. Eph. V. 25. Vi hujus amoris maritus uxori, & uxor ma-

Schub. Theol. Moral. D d rito

rito omnia ea officia præstare debet, quæ ex amore præstanda sunt proximo, & quidem longe majori gradu, sic ut in collatione officia erga conjugem semper præferantur, ne officiis quidem erga parentes exceptis. Gen. II. 24. Ex arctissima illa conjunctione summa oritur familiaritas, ut quicquid conjuges ad privatum vel commune societatis bonum aut damnum facere putant, sibi invicem significant, & consilia secum communicent, nec arcanorum domesticorum conscios faciant alios. Adulterium fugiendum est, tum quia est acerbissima læsio partis alterius, & contra fidem datam pugnat, tum quia amor conjugalis transfertur in scortum, & cum eo unio inicitur, debito, amori, & unioni conjugali contraria, I. Cor. VI. 16. tum quia Deus hanc turpitudinem severe prohibuit, Exod. XX. 14. Gal. V. 19. Ebr. XIII. 4. tum quia adulterium est fornicatio aucta. (§. 115.) Unde ingens peccatum maneret, etiamsi altera pars in illud consentiret, & consensus ille partem consentientem alieni peccati ream redderet. (§. 64.)

## §. CXX.

Officia uxoris specialia.

Inprimis autem vxor

I. *Subiecta sit marito, ut capiti & superiori suo, a Deo constituto.* Gen. III. 16. Eph. V. 22. 23. 24. Col. III. 18. I. Pet. III. 1. 2.

2. Cumque illi, cui imperium in nos traditum est, reverentia debeatur, *maritum quoque debito honore prosequatur*; 1. Pet. III. 6.

3. Quicumque vero alterum diligit, & simul honorat, ille & operam dabit, ut illius amorem reciprocum, propensionem, & æstimationem sibi conciliet. *Hinc & uxores mansuetudini, humanitati, officiositati, & obedientiæ erga maritos studebunt, suas infirmitates semper magis magisque emendabunt, & id omne peragere allaborabunt, quod maritis placere norunt*;

4. Ex hoc ipso amore & reverentia erga maritum porro sequitur, *ut eum nunquam deserant, sed fata adversa, si forte ipsi eveniant, mitigent & participent*;

5. Et quoniam uxorum quoque est, educationi liberorum suam curam & vires impendere, *si quid habent opum, illius usum in communem familiæ utilitatem concedant marito, quæ ille suo labore acquirit, bene collocent, & rem domesticam prudenter administrent*. Prov. XXXI. 10. seqq.

Introducto peccato æquum erat, ut uxor marito subjiceretur. Gen. III. 6. 1. Tim. II. 12. 14. Ipsa enim, cum aliquando sola esset, suumque arbitrium sequeretur, tentationibus succumbebat, & deinde marito persuadebat, ut in idem delictum con-

sentiret. Accedunt impedimenta a natura matrimonii dependentia, quæ non permittunt, ut uxor rei familiaris curam semper gerat. Sed sine dubio & in ipso integritatis statu aliqua subordinatio existisset. Nam omnis societas ita comparata est, ut melius ipsi consulatur, si ab uno capite dependeat, quam si a pluribus independenter gubernetur. Hinc & hujus subjectionis nonnullæ rationes redduntur, quæ & in statu integritatis adfuerunt. I. Cor. XI. 8. 9. Sed magna est differentia inter subjectionem in statu integritatis & lapsus. Peccato non existente utraque pars conjugum sapientiam sibi concreatam sequuta, & si forte opinionum contradictio orta fuisset sponte cessisset uxor. In statu peccati vero etiam invita parere debet marito. Ceterum ad hæc officia, quæ marito debentur, uxores non tantum obligat lex Dei, & amor conjugalis, sed etiam propria ipsarum utilitas. Maxima enim uxorum & totius familiæ utilitas in eo consistit, ut a marito suo diligantur, & æstimentur. Hoc autem mariti studium nulla re magis & certius sibi comparant, quam eo vitæ genere, quo illarum officia contineri ostendimus. Multum quoque illarum interest, ut marito fideliter adhæreant, & cuncta illi prospere cedant. Nam extra mariti societatem

tem nulla est vera felicitas, quæ illis contingere posset. Itaque suæ utilitatis & felicitatis causa sibi caveant ab inobedientia, a contemptu mariti, a morositate, prodigalitate, rei domesticæ neglectu, &c.

§. CXXI.

MARITVS e contrario, cum ipsi ex or-  
dinatione divina imperium in uxorem  
concessum sit, (S. 120.)

Officia ma-  
riti specia-  
lia.

1. Non patiatur, illud sibi eripi; 1. Tim.  
II. 12.

2. Ut vero hoc munere imperandi recte fungi possit, & reverentia ac obsequio dignus videatur, summo studio discat, quomodo societas conjugalis & universa familia, cujus caput est, recte gubernetur, & in omnibus rebus circumspicere & prudenter agat; Eph. V. 23. 1. Pet. III. 7.

3. Cum hoc imperio tenerrimum amorem jungat, & nunquam obliviscatur, uxorem propriam suam carnem esse; Eph. V. 25. 28. 29. Col. III. 19.

4. Propter hanc ærtissimam unionem nec illam prorsus a participatione imperii in familiam excludat, sua consilia cum illa communicet, nec quid ipsi videatur, si commodum fuerit, spernat; 1. Pet. III. 7.

5. Et quoniam imperium marito non traditum est, ut ipsi tantum inserviretur,

Dd 3

sed

sed ut communis felicitas societatis conjugalis & totius familiae eo melius promoveatur, ac imperium illud in uxorem amore conjugali temperari & dirigi debet, ad mariti officia porro pertinet, infirmitates conjugis tolerare, eam de rebus necessariis mone-  
 nere ac instituere praesertim vero ad pietatem & vitae sanctimoniam hortari, & ubi opus fuerit, eam cum mansuetudine & prudentia emendare; 1. Cor. XIV. 35. 1. Pet. III. 7.

6. Denique cum nemini imperium in alios competat, nisi simul illorum curam gerere teneatur, & praeterea maritus uxorem diligere debeat tanquam propriam suam carnem, ipse etiam uxori de victu & amictu prospiciat, in quacunque necessitate eam fideliter juvet, adversus vim & injuriam defendat, & illius commodum non minus sibi commendatum habeat, ac suum proprium. Eph. V. 25 - 29.

Pactum igitur, quo futurus maritus suo imperio nuncium mitteret, aut illud in uxorem devolveret, injustum foret, & ipso facto nullum. Distinguendum tamen est imperium conjugale a civili. Quorum prius sicuti semper penes maritum esse debet, ita non impossibile est, ut posterius ab uxore exerceatur. Caeterum motiva, his omnibus officiis satisfaciendi, non tantum ex natura imperii & amoris conjugalis,

lis, sed & ex unione Christi cum ecclesia petenda sunt, quam ipse imaginem societatis conjugalis esse voluit. Eph. V. 25.

§. CXXII.

Triplex est medium, quo societas pa- Divortium  
cto seu mutuo consensu composita rursus  
dissolvi potest, nimirum impossibilitas,  
communem societatis finem consequen-  
di, læsio, quæ contra pactum ab una parte  
alteri inferitur, & denique mutuus dissen-  
sus. Cum igitur & matrimonium mutuo  
consensu contrahatur, (§. 118.) his quo-  
que tribus modis illud iterum tolli posse  
videtur. Et

1. Impossibilitatem alicujus membri  
quod attinet, finem societatis conjugalis,  
h. e. procreationem & educationem libe-  
rorum, promovendi, ea duplex esse pot-  
est, *sponte scilicet & citra culpam contracta*.  
Posterius si accederit, justum quidem vi-  
detur esse divortium. Nam existente im-  
possibilitate finis consequendi cessat socie-  
tas ad hunc finem inita. Quia vero con-  
juges vinculo conjugali varia jura & emo-  
lumenta legitime acquirunt, (§. 119. 120.  
121.) atque illis injuste privarentur, si nul-  
la in eos culpa caderet, *sola impossibilitas  
sponte aut propria culpa contracta ad hoc genus  
causarum divortii pertinet.*

D d 4

2. Hæc

2. Hæc autem impossibilitas sine dubio adest, cum una pars alteram malitiose deserit, nec auctoritate magistratus aut aliis mediis ad societatem conjugalem reduci potest. *Unde & malitiosa ista desertio respectu personæ desertæ est legitima divortii causa.*  
1. Cor. VII. 15.

3. Læsiones, quibus pacti conditiones violantur, alias partem læsam ab obligatione liberare solent. Quilibet enim, qui cum altero paciscitur, se sua promissa sub conditione servaturum esse promittit, si & alter promissum suum adimpleturus sit. At quia ex lege Christi inimicis condonari debent offensiones, (§. 109.) & imprimis uxori & marito, qui se invicem ut propriam carnem tenerrimo amore amplecti obligantur, (§. 119.) ac præterea, si propter quamcunque læsionem permessa esset conjugum separatio, quotidiana metuenda forent divortia, quin hac ipsa divortii spe læsiones conjugum in infinitum auferentur, quod primarium matrimonii finem, liberorum educationem, maxime impediret, (§. 114.) *Christus sapientissime constituit, ne quis propter ullam læsionem uxorem suam dimittat, solo excepto adulterio.*  
Matth. V. 32. XIX. 9.

4. Mutuo pariter dissensu matrimonium dissolvi posse videtur. Sicuti enim mutuo consensu contractum erat, ita eo  
per

per mutuum dissensum rursus sublato ipsum videri posset cessare matrimonium. At vero libertas dissentiendi lege divina conjugibus adempta est. Christus enim dicens, adulterium committere, qui uxorem dimittit extra casum adulterii, Matth. XIX. 9. hoc ipso significat, se nolle, ut conjuges pro arbitrio vinculum suum rumpant, quando ipsis placuerit. *Hinc spontaneum illud divortium, in quod utraque pars consentit, illegitimum est, adeoque non permittendum.*

5. Divortio legitime facto, qui olim erant conjuges, jam non amplius existunt in matrimonio. Cum igitur quilibet jure gaudeat, matrimonium contrahendi, nisi rei impossibilitas, aut alia legitima causa obset, (§. 114.) tale vero impedimentum non sit pristinum conjugium, quod jam dissolutum est, *permittendum est personis separatis, ut ad alias nuptias, si velint, trans-eant.* Deut. XXIV. 1. seqq. Matth. V. 32. XIX. 9.

Si personæ jam ante matrimonium ineptæ fuerint, aut sponsalia sint illegitima, legibus divinis contraria, aut cum læsione tertii connexa, matrimonium, quod contrahitur, ipso facto nullum est, & sine difficultate dissolvi potest. Idem sentio, si fraude aut errore invincibili circa personam

nam

nam, deceptus fuerit, quam sibi vitæ & thori sociam dari nunquam passus fuisset, si, quæ esset, rectius constitisset. Sed si contracto & consummato matrimonio unius conjugum sine culpa propria aliquid acciderit, quo finis matrimonii aut in totum aut ex parte impossibilis reddatur, uxor propterea non est expellenda, nec maritus descendus. Matrimonium enim erat legitimum, & hinc quoque jura legitime acquisita. Illis ergo si quis personam innocentem propter casum fortunæ privare vellet, injuriam illi faceret. Neque hic urgenda est sola finis matrimonii impossibilitas. Nam & aliorum officiorum ratio haberi debet, quæ violari non possunt propter finis matrimonii impossibilitatem. Malitiosæ desertioni æquipollent delicta, quæ exilium aut perpetuos carceres merentur. Obstinata quoque debiti conjugalis denegatio, capitale odium, infidelis vitæ conjugis structæ huc referri possent, si nulla emendatio amplius speranda foret. Nec obstat, solam *παρρησίαν* a Christo dici legitimam divortii causam. Nam Christus de solo causarum genere sententiam dicit, quæ a læsionibus petuntur, & de quibus solis apud Judæos erat disputatio. De causis, quæ finem matrimonii impossibilem reddunt, cum nullus esset dissensus

nec de iis Christi opinionem exquirere poterant.

Πορνεία non quodlibet turpe factum, quod fidem conjugalem violat, & hoc respectu cum adulterio comparari posset, sed scortationem & varia illius genera, quæ si a conjugibus committatur, in adulterium abit, significat. Ubique enim hanc turpitudinem denotat, nisi improprie pro scortatione spirituali, h. e. pro idololatria accipiatur. Act. XV. 20. Rom. I. 29. I. Cor. V. 1. VI. 13. 18. VII. 2. Gal. V. 19. Eph. V. 13. Equidem & adulterium juxta legem Christi condonari deberet, sic ut divortio & damnis ab eo dependentibus non esset puniendum. Quia vero dolor ex hac læsione ortus nimis gravis esse solet, & præterea peregrinum semen, si uxor fuerit adultera, familiis infertur, nec facile restitui potest illa familiaritas & fides, quæ conjuges unire debet, Christus aliquid infirmitati humanæ dandum, & minus malum majori præferendum esse duxit. Interea tamen non præcipit, sed tantum permittit adulterium, si altera pars alterius adulterio læsa fuerit. Hinc etiam marito, si ita placuerit, uxorem adulteram retinere licet. Cum conjugium non sit negotium mere humanum, sed ab ipso Deo institutum, & divinis legibus limitatum, neque mutuo dissensu illud rursus dirimi potest,

est, ut alia negotia spontaneo pacto confecta, sed attendendæ sunt leges divinæ. Gravissimas autem causas Deus habuit, hæc in re arbitrium conjugum restringendū. Nam si quælibet læsio aut quilibet conjugum consensus statim sufficeret ad matrimonium dissolvendum, pauci conjugum suum vinculum usque ad mortem continuarent, læsiones ipsæ auferrentur, educatio liberorum negligeretur, nulla fides conjugalis speranda foret, cædes & inimicitia alerentur, &c. Et quamquam Jædæis permissum fuerit divortium, Deut. XXIV. 1. seqq. Deus tamen pro gentis consuetudine hoc malum tantum toleravit, ut majora evitarentur. Matth. XIX. 8. Interim non deerant declarationes divinæ in Vet. Test. e quibus satis constabat, hæc divortia Deo non placere. Gen. II. 24. Mal. II. 14. 15. Et ipsa lex, quæ divortium limitabatur, Deut. XXIV. 1. seqq. satis indicabat, quantopere Deus illud improbare. Ubi autem divortium ex legitima causa factum est, aliæ nuptiæ utrique parti merito permittuntur. Nam ex vinculo conjugali, quod olim existebat, nunc vero solutum est, nulla reddi potest prohibitionis ratio. Hinc & Christus Matth. XIX. 9. permittit, ut adultera dimissa a viro nubat. Equidem si & parti nocent aliud matrimonium inire permetteretur.

metuendum foret, ne adulteria & malitiosæ desertiones hoc ipso augerentur. Sed primum denegatio juris, matrimonium contrahendi, non potest ut pœna adhiberi, cum quilibet jus naturale ad illud habeat, nisi alio vinculo jam teneatur. Secundo si divortium ex capite adulterii factum est, persona nocens certe non habet donum continentia. Hinc si matrimonium inire non deberet, scortationi indulgeret, ad quam tamen evitandam conjugium commendatur. 1. Cor. VII. 2. 9. Denique tertio aliis pœnis coërceri potest pars nocens, quibus forte facilius læsiones & causæ divortii caveri possunt,

§. CXXIII.

Causa, cur persona in matrimonio Secundæ nuptiæ jam existens cum alia persona matrimo- nuptiæ nium contrahere nequeat, est turpitudinis permissæ. polygamia. (§. 116.) Hæc autem causa tollitur mortuo marito vel uxore, & pars superstes in pristinum statum, qui ante matrimonium contractum aderat, restituitur. *Ergo nulla est ratio, cur vidui vel viduæ ad secundas nuptias non possint transire.* Deut. XXV. 5. 1. Cor. VII. 8, 9. 39. 1. Tim. V. 14.

Qui ex 1. Tim. III. 2, Tit. I. 6, colligunt, secundæ

secundas nuptias ministris ecclesiae prohiberi, non animadvertunt, ibi sermonem esse de polygamia simultanea, quæ inter novos Christianos, ex gentilismo conversos, tolerari debebat, ne contra legem Christi divortia fierent. Locus 1. Tim. V. 9. tantum de viduis ad aliquod ministerium Ecclesiae eligendis agit. Et 1. Cor. VII. 40. Paulus ostendit, quid pro statu illorum temporum melius sit. Si quis vero aliam uxorem, priore mortua, ducit, non negligat officia, quæ defunctæ debet, & erga liberos ex ea susceptos exercere potest. (§. 110.)

## §. CXXIV.

Societas  
paterna.

Societas conjugalis a Deo instituta est. (§. 114.) Instituta autem est ad procreationem liberorum, a qua illorum educatio separari nequit. (§. cit.) Inde oritur nexus inter parentes & liberos, qui officiis & juribus reciprocis continetur, & SOCIETATEM PATERNAM appellamus. Ergo

1. *Hæc societas paterna æque a Deo instituta est, ac conjugalis;*
2. *Matrimonium ab iis merito contrahendum non est, qui societatem paternam conservare & gubernare nesciunt;*
3. *Societas paterna non spontaneo pacto nititur,*

titur, sed est naturale consequens matrimonii.

Divina hujus societatis institutio etiam ex legibus istis patet, quibus officia parentum & liberorum determinantur. Et in eo maxime conspicua est divina sapientia, quod totum genus humanum in communibus parentibus descendere voluerit. Act. XVII. 26.

§. CXXV.

EDUCATIO LIBERORVM est studium, Officia parentum erga liberos. quo illi ad propriam suam felicitatem aliquando sibi procurandam præparatur. Hoc studium cum illis applicari non possit, nisi eorum vita conservetur, ipsi autem liberi nihil habeant, quo se conservare possint, sequitur,

1. *Parentes liberis suis alimenta aliaque ad vitam sustentationem necessaria porrigere debere.* (§. 124.) Luc. XI. 11. 1. Tim. V. 8. Eph. V. 29.

2. Qui ad propriam felicitatem aliquando sibi procurandam præparatur, felicitate ista & viribus, eam sibi comparandi, adhuc caret. Præparatur ergo ad hunc finem partim, dum alterius studio viribus instruitur, suam ipsius perfectionem promovendi, partim, dum aliena opera felicitas illi conciliatur, quam ipse sibi procurare

rare nondum potest, quæ tamen, si mature adsit, ad futuram felicitatem aut consequendam aut amplificandam multum facit, cujusque defectus futuræ & amplioris perfectionis perpetuum esset impedimentum. Jam vero triplicis homo perfectionis capax est, mentis nimirum, corporis, & status externi. Cum igitur liberi a parentibus educandi, h. e. ad futuram suam felicitatem aliquando sibi comparandam præparandi sint, parentes operam dare debent, ut non tantum omnem istam felicitatem animæ, corporis, & status externi, cujus liberi eo tempore jam capaces sunt, quo ipsi salutis sue consulere nondum possunt, mature illis comparent, sed etiam, ut eos viribus quibuscunque instruant, & semper magis magisque augeant, inchoatam perfectionem amplificandi, novamque impostero sibi acquirendi.

3. Ratione ANIMÆ huc imprimis pertinet, ut per baptismum in fœdus gratiæ recipiantur, Jo. III. 15. Matth. XIX. 14. ut principiis veræ religionis ab incunabulis imbuantur, ac in iis confirmantur, Deut. VI. 7. 20. seqq. Gen. I. 19. Exod. XII. 26. 26. Eph. VI. 4. 2. Tim. III. 15. ut ad cultum Dei, privatum & publicum, omniaque pietatis exercitia manuducantur, Prov. II. 2. seqq. Eccl. XII. 1. Ps. LXXI. 17. 18. Luc. II. 41. seqq. Eph. VI. 4. ut prava illa cordis dispositio prudenter coërceatur & minuatur, Prov. XXII. 15. XXIII. 13. ut ab

omni scandalo præservedentur, Matth. XVIII. 4. 5. 6. & proprio parentum exemplo ad pietatem & timorem Dei excitentur.

4. CORPORIS cura involvit, ut non tantum liberis de victu & amictu prospiciant, sed etiam sanitatis & integritatis membrorum corporis curam gerant, morbo laborantibus opem ferant, vires corporis roborent, honestis ac decoris moribus & habitibus eos assuefaciant, &c. Matth. XV. 22. Jo. IV. 47. Prov. XXII. 6. Prov. XIX. 13. Luc. II. 52.

5. STATUS EXTERNI perfectionem non parum promovet, si liberis aliquid externarum opum & favor amicorum, quibus juvari possint, comparetur. (§. 94. 108.) Quia vero aliquod laborum genus a quolibet tractandum est, quo se suosque conservare possit, & hoc ut recte addiscatur, liberorum studium a tenera ætate applicari & exerceri debet, liberi autem ignorant, quodnam vitæ genus sibi aliquando futurum sit proficuum, & quænam negotia præcipue cum fructu tractandi sibi sint vires & aptitudo, illi etiam plerumque otio indulgere malunt, quam labori, parentes prudenter eligant illud vitæ genus, quod liberis salutare & proficuum fore vident, hujus culturæ eos mature tradant, necessarios sumptus impendant, diligentiam excitent, & ut in eo bene exerceantur, efficiant.

6. Sed hoc studium vanum & inutile erit, nisi divina benedictio accedat. Quæ cum

cum obedientia erga Deum & invocatione summi Numinis impetretur, (§. 77. 87.) Exod. XX. 6. Gen. XVII. 20. *parentes suorum quoque liberorum intuitu pietati studere, & pro iis orare debent.*

7. Molestissima sane & labore plena res est, tantam curam liberorum educationi impendere. Quapropter ne hoc studium aliquando deficiat, parentes aut spe lucri moveantur, aut singulare aliquod beneplacitum in felicitate liberorum suorum habeant, necesse est. Si lucri percipiendi causa hoc onus sustinere vellent, actum esset de liberorum salute. Nam aut profus impossibile, aut valde improbabile est, ut studii & laboris sui remunerationem a liberis expectare possint. *Ergo parentes ita affectos esse oportet, ut ex liberorum felicitate in se spectata, non habita proprii commodi ratione, voluptatem capiant, & hinc eos ex toto corde diligant. Pl. CIII. 13. Jes. XLIX. 15. Luc. XI. 11. 13.*

8. Hujus amoris consequens est, ut liberos suos humaniter tractent, infirmitates eorum tolerent, illis non irascantur, sed offensiones benevole & libenter condonent, nullum laborem, quo juvari possunt, detrectent. suum cum illis agendi modum ad eorum captum & virium mensuram componant. eorumque felicitate delectentur, adversis autem satis contristentur. Gen. XXXVII

3.4.35. XLV.28.2. Sam. XVIII. 33. Luc. XV.  
21. seqq. Eph. VI.4. Col. III. 21.

9. Quandoque tamen in liberis tanta est petulantia, ut humanitate & mansuetudine tantum ferociiores reddantur. Quod si acciderit, & obstinatus illorum animus flecti non possit paternis admonitionibus, parentes officium suum, liberos emendandi, eorumque felicitatem promovendi, negligenter, nisi duriora media adhiberent, eosque severis castigationibus coercerent. 1. Sam. III. 13. coll. Cap. II. 23. 24. Prov. XXII. 15. Ebr. XII. 7.

Ut hæc officia rite adimpleri possint, omniaque impedimenta removeantur, parentes

1. de acquirendis opibus solliciti sint, quibus opus habent ad liberos suos sustentandos;
2. eam sibi comparent scientiam, quæ ad formandos teneros animos, & ad aliorum æternam & temporalem salutem procurandam requiritur;
3. ipsi Deum ex toto corde timeant, & præcipua illorum cura sit, ut liberi fide & pietate cum Deo semper magis magisque uniantur;
4. nec minus operam dent, ut honestis quoque & elegantibus moribus externe assuefiant;
5. ex hac causa præcipuas inclinationes, affectus & præjudicia liberorum diligenter explorent, ut, quæ animum ad malum flectere vident, mature expellant;
6. ratione

corporis eos durioribus & incommodis  
 perferendis assuefaciant, ne nimia mollitia  
 corrumpantur; 7. in eligendo vitæ genere  
 cui destinantur liberi, tum ipsius honestatis  
 & utilitatis, tum liberorum aptitudinis  
 & virium, tum externarum quoque circum-  
 stantiarum rationem habeant; 8. continuo  
 labore a prima infantia eos exerceant, &  
 ab otio, quantum fieri potest, eos ab-  
 strahant; 9. cumque non constet, quid illis  
 aliquando futurum sit utile & proficuum,  
 omni occasione prudenter utantur, quæ  
 offertur, scientiam, artem, vel habitum  
 illis comparandi, etiam si ad vitæ genus  
 cui destinati sunt, non videantur neces-  
 saria, ita tamen, ut magis necessaria semper  
 præferantur minus necessariis; 10. dili-  
 gant liberos, sed a nimio & præpostero  
 amore sibi caveant, ne ad illorum nævos con-  
 cutiant, aut vitiis indulgeant, eaque ex-  
 eusent. *CVRAM ANIMÆ* quod attinet, quæ  
 præcipua esse debet, 1. pro gradu capaci-  
 tatis liberorum principia religionis eos  
 doceant, aut doceri curent, ut a facilioribus  
 ad graviora capita progrediantur; 2. nec tantum  
 memoriæ imprimantur illa, sed danda est  
 opera, ut & ea intelligant, & rationes fidei  
 suæ perspiciant; 3. hinc diligenti & atten-  
 ta lectione sacrarum literarum exercean-  
 tur, de iis, quæ lecta sunt, colloquium  
 instituat, & ubi opus est, clarior

clarius explicentur; 4. nunquam autem sine magna devotione & reverentia de Deo rebusque divinis differatur; 5. fœdus baptismale, quamprimum fieri potest, illis explicetur, & sæpe in memoriam revocetur; 6. ostendatur quoque religionum differentia, & illius, quam profitentur, præstantia; 7. precum & cultus divini necessitas & utilitas exponatur, & ut his officiis non ex consuetudine, sed ex pio cordis affectu & devotione vacent, efficiatur; 8. hinc ad pietatis studium non cogendi, sed rationibus & exemplis excitandi sunt, præcipue ad amorem Dei, ut eum sponte & cum gaudio colant; 9. Veritas & sinceritas cordis imprimis commendanda, & omnipræsencia ac omniscientia Dei, qui & occulta quævis videret, diligenter inculcanda est, ut ab omni hypocrisi sibi caveant; 10. & ne animus ad verbum Dei obduretur, sed illo se flecti patiatur, affectus ita coercendi sunt, ut liberi nihil nisi prævia deliberatione agant, & potius rationum pondera, quam affectus stimulos & vehementiam sequantur. HÆC OMNIA peragenda sunt præcipue quidem *ex amore Dei*, sed simul etiam *ex amore liberorum*. Sunt enim officia erga alios, quæ Deo placere nequeunt, nisi ex amore procedant, (§. 99.) Hinc quia homines ad amorem erga alios propria sua utilitate &

commodo plerumque moveri solent, parentibus autem a liberis nullum commodum aut lucrum expectandum est, sapientissimus naturæ conditor ipsi naturæ humane erga liberos amorem implantavit. Notandum tamen omni fundamento carere videatur tenendum est, 1. liberos esse ipsam carnem & sanguinem parentum, & hinc illorum amorem amore sui ipsius jam contineri. 2. liberos a Deo creatos, ipsique percheros esse, Jon. IV. 11. Marc. X. 13. sequitur unde qui Deum diligit, creaturas quoque ab eo tantopere dilectas amabit, præsertim vero illas, quas nobis generationis jure alendas, educandas, & ad ejus cultum præparandas tradidit; 3. liberos esse donum Dei, Ps. CXXVII. 3. quod eo magis fovendi & æstimari debet a parentibus, quo perfectior homo rebus quibuscunque aliis est; 4. liberos a parentibus non tantum vitam, sed & naturalem corruptionem accepisse, & parentum culpa miserimos fore, si ab illis negligenterentur, unde sicuti nostræ commiseratione, ita & amore quocunque alio sunt digniores. CÆTERVM ad hæc officia liberis præstanda parentes moveri possunt *tum* exemplo Dei, qui se ipsum patrem omnium hominum vocat, & hinc vult, ut paternum ejus affectum imitemur, *tum* generali obligatione, gloriam Dei illustrandi & aliorum felicitatem promovere.

vendi, cui officio adimplendo liberorum educatio opportunam nobis offert occasionem; *tum* liberorum indigentia, quorum conditio miserrima foret, si a parentibus negligerentur; *tum* multiplici utilitate, quæ liberis in timore Dei educatis præstari potest Ecclesiæ & reipublicæ; *tum* gratitudo erga Deum pro educatione, quæ ipsius beneficio nobis a parentibus contingit; *tum* denique gravissima ratio, nobis aliquando reddenda, si nostra culpa liberis pereundum esset.

§. CXXVI.

Hæc obligatio liberos educandi simul <sup>Jura parentum.</sup> involvit jus, de iis & eorum actionibus disponendi. Quomodo enim officia ista, quæ §. 125. recensuimus, adimpleri possent, si liberi a proprio arbitrio dependere, nec quicquam in eos juris parentibus competere? Hinc & scriptura a liberis obedientiam exigit, Eph. VI. 1. quæ in parentibus jus & imperium supponit. Hæc autem jura parentum non parum extenduntur, si cogitemus, liberos esse effectus parentum, & hinc in illorum dominio existere. Nam quicquid mearum virium usu comparatum est, & in quod nemo alius jus habet, illud sine dubio meum est. Ut ergo certius constet, quænam sint ista jura, & eorum limites, tenendum est,

Ee 4

I. Pa-

1. *Parentibus jus competere, liberis suis in proprium commodum pro arbitrio & quidem private utendi.* Hoc enim ipsa domini notio jam involvit. Gen. XXIX. 9. Exod. II. 16. 1. Sam. XVI. 11.

2. *Nec minus parentes jure gaudent, liberorum actiones determinandi, easque vel approbandi vel improbandi.* Nam ad officium parentum pertinet, liberos perficere, cum sibi suæque saluti ipsi consulere nondum possunt, & vires illis comparare, omnimodam suam felicitatem, animæ, corporis, & status externi, aliquando promovendi. (§. 125. num. 2.) Quemadmodum itaque jus illis competit, id omne agendi, quod ad hos fines tendere videtur, ita & ab illorum judicio dependere debet, quid liberis utile sit, & quid noxium. Hinc & ipsi liberis actiones imperare possunt, & approbare vel improbare & incassum reddere, si quid forte liberi in suum commodum agere decreverint, aut vere jam peregerint. Num. XXX. 4. 5. 6.

3. *Eadem obligatio, liberos educandi, & illorum felicitatis tam æternæ quam spiritualis curam gerendi, porro involvit jus liberos suos contra quosvis defendendi, qui eos ad amplectendam religionem cogere volunt, quam parentes impuram & noxiam esse judicant, nec minus contra eos, qui liberos ad im-*  
*pietatem*

pietatem seducere, aut alio modo lædere intendunt.

4. Quia vero liberi etiam sunt homines, qui suis juribus connatis & naturalibus gaudent, & ad communia illa hominum & Christianorum officia obligantur, a quorum adimpletione nulla vi vel auctoritate abstrahi possunt, Deus præterea liberos ad suam gloriam manifestandam creavit, & parentes gravissima obligatione tenentur, illorum felicitatem quovis modo promovendi, plerique etiam parentes in civitate existunt, in qua supremus magistratus non tantum jus in parentes, sed etiam in liberos habet, sequitur, *his omnibus jura parentum valde limitari & restringi.* Eph. VI. 4. Col. III. 21.

5. Ex hac causa parentes non habent jus vitæ & necis in liberos. Ut enim taceam, neminem interficiendum esse, (§. 101.) & quemlibet jus habere, vitam suam contra aggressores defendendi, (§. 93.) educatio liberorum juri vitæ & necis plane contraria est. (§. 125.) Nam existente obligatione, alicujus hominis vitam conservandi, eumque ad omne felicitatis genus præparandi, nullum jus cogitari potest, eundem occidendi. Sique delictum, morte dignum, forte commissum fuerit, de eo judicare non possunt parentes, quibus tan-

Ee 5 tum

tum cura educandi & jura connexa tradita sunt. Deut. XXI. 18. seqq.

6. *Neque aliquod datur parentum jus, liberorum cogendi, ut hanc vel illam religionem invito & reclamante conscientia amplectantur.* Est enim commune hominum, inprimis Christianorum, officium, de Deo rebusque divinis statuere, quod quisque prævia exploratione verum & rectum esse sentit, eum ita colere, ut conscientia satisfiat, sibi ab omni hypocrisi cavere. (§. 70. 71. 83.) Quod quidem officium cum & in liberos cadat, nulla fingenda sunt parentum jura, quibus necessaria illa conscientia libertas, liberis quoque tribuenda, impediretur.

7. Denique cum & quisque jus habeat matrimonium contrahendi, si ad hanc societatem non ineptus fuerit, (§. 114.) *non datur jus parentum, prohibendi, quo minus liberi societatem conjugalem ingrediantur.*

Dominium, quod parentibus in liberos competit, non spontaneo quodam pacto aut consensu, sed naturali generatione nititur. Quicquid enim in legitimo virium mearum usu suam habet rationem, id perinde meum est, ac vires ipsæ. Et cum Deo placuerit, ut omnes homines a communibus parentibus continuo parentum & liberorum nexu & ad se invicem relatione nascantur, Act. XVII, 26. hac sua

ordinatione dominium illud satis firmavit. Hinc & dominium hoc liberorum defensu tolli haud potest. Sed limitatur illud tum rei ipsius natura, quæ in dominio existit, tum jure Dei, & quandoque etiam magistratus, in liberos, quod violari non debet, tum denique educationis officio. Jus vitæ & necis si qui habeant in liberos, id non habent ut parentes, sed ut summi imperantes, quorum liberi simul habent respectum subditorum. Nam nec dominium parentum tale jus involvit, quod quippe multiplici ratione restrictum est, nec obligatio educandi, quæ tota in liberorum conservationem tendit. Si parentes sub alieno imperio existant, multo minus hoc jus sibi arrogare possunt. Ad solos enim magistratus supremos illud in Rep. pertinet. Quoad religionem eam quidem, quam ipsi profitentur, parentes liberis commendare & suadere, & contrarium dissuadere possunt. Cum vero ad annos discretionis pervenerint, libera illis permittenda est electio, nec liberi propterea deserendi, aut juribus suis privandi sunt. Inprimis hoc observandum est, si parentes diversæ sint religionis. Si forte liberi matrimonium contrahere vellent, cum adhuc inepti sunt ad hunc statum, aut quod illis infaustum fore vident parentes, illud sine dubio impedire possunt. Eos  
vero

vero ad perpetuum cælibatum aut virginitatem destinandi, nullum est jus in parentibus.

## §. CXXVII.

Majoren-  
nitas & mi-  
norenni-  
tas.

Quamvis dominium parentum in liberos fundatum sit in naturali generatione, & hic nexus aut relatio semper duret, ideoque dominium illud non nisi morte alterutrius partis extinguere posse videatur; (§. 126.) tamen, cum liberi naturalia habeant jura, societatem ingrediendi, quæ illud dominium parentum non patitur, & præterea multa dantur officia, quæ, si adimplenda sint, homo suum ipsius iudicium sequi debeat, & hinc libertatem quandam habeat, de se suisque actionibus disponendi, quæ vero durante parentum dominio prorsus deficit, facile liquet, *dominium hoc cessare oportere, simulac salvis reliquis parentum officiis tolli potest.* Quamdiu liberi in dominio parentum aut sub potestate patria existunt, MINORENNES sunt. Status autem libertatis ab hac potestate, MAIORENNITAS appellatur. In statum ergo majorennitatis cum transponi debent liberi, simulac parentes id salvis suis officiis fieri posse intelligunt, hæc autem officia educatione continentur,

I. *Liberi pro majorennibus declarandi sunt,*  
quan-

quando ipsi de victu & amictu sibi prospicere possunt, & viribus gaudent, suam felicitatem promovendi & amplificandi. (§. 125.) Gal. IV.

1. 2.

2. Sublata' minorennitate cadunt quidem jura, quæ a dominio dependebant, cadunt etiam officia, quæ parentibus imponebat educationis necessitas; quia vero liberos ut propriam carnem suam diligere, & de illorum salute solliciti esse debent, (§. 125.) illorum obligatio liberos consilio & opere juvandi nunquam cessare potest.

3. Hoc genus auxilii illis ferri potest non tantum instructione, quænam sit optima ratio, rem domesticam administrandi, & quomodo in officio aliisque rebus gerendis versari oporteat, sed etiam, cum felix rerum successus in novo hoc statu impediatur aut certe difficilior reddatur, si absque opibus externis inchoetur, liberi autem, cum ex potestate patria dimittuntur, nihil habeant istarum opum, nisi quod ex benignitate parentum accipiunt, necesse est, ut & parentes ad futuram liberorum felicitatem aliquam opum suarum partem illis largiantur.

Majorennitas liberis aliquando concedenda patet etiam tum ex fine educationis, quæ tota eo tendit, ut liberi sibi relictis propriis viribus suam felicitatem aliquando promo-

veri

veri possint, *tum* ex causa obligationis educandi, quæ est liberorum impotentia suam salutem procurandi, ideoque sublata illa impotentia simul cessat causa obligationis, & hinc quoque jura inde resultantia cadunt, *tum* ex præsumenda necessitate futuræ majorennitatis, si parentes, ut fieri solet, prius morerentur, quam liberi, *tum* denique ex successiva familiarum propagatione, quæ supponit, ut, qui jam est sub potestate patria, aliquando ipse fiat paterfamilias. Cum igitur liberorum minorennitas aliquando finiri debeat, periculosum autem sit, ex statu plenæ subjectionis in statum libertatis immediate transponi, prudentia suadet, ut parentes procedente liberorum ætate subjectionis & dominii fines relaxent, eos aliqua libertate frui sinant, rationibus & argumentis potius, quam imperio, minis, & castigationibus gubernent, & aliquam rerum administrationem illis permittant. Tempus majorennitatis alii aliis citius attingunt. Quia vero infinitæ lites circa hoc argumentum oriri possunt, liberis ante justum terminum majorennitatem poscentibus, aut parentibus eam sine causa denegantibus, præsertim si liberi sint sub potestate curatorum, magistratus certum terminum figere potest, quo elapso minorennitas exspiraret. Interea si parentes videant, liberos  
& ante

& ante hunc terminum sibi suæque saluti consulere posse, aut commoda offeratur occasio, futuram filiarum felicitatem promovendi, si ante terminum ex patria potestate dimittantur, hac in re non sint iusto morosiores. Sublata illorum potestate non prorsus abjiciant omnem liberorum curam, sed prudentia, consilio, opibus suis, aliisque officiis eos fideliter juvent. Liberi enim omnium hominum præcipui sunt, quibus officia charitatis præstari debent. Quemadmodum autem cura parentum pro liberis eos non impedit, quo minus suæ ipsorummet felicitatis rationem habeant, & hinc media, quibus se & alios juvare possunt, in sua potestate retinere debent, ita imprudentissime agerent parentes, si omnes suas opes liberis traderent, suamque sustentationem per reliquam vitæ partem ab illis expectarent. Sir. XXIII. 20. seqq. Quæ hæcenus de officiis & juribus parentum disputata sunt, suo modo ad tutores & curatores applicari possunt. Hi enim, defunctis parentibus, in illorum locum succedunt. Limitatione tamen opus est, ne omnia sibi licere putent tutores, quæ parentibus licita sunt. Nam 1. parentum jura a dominio & educatione simul dependent, tutorum autem a sola educationis cura. 2. Tutorum bona aliena administrant, & administrationis suæ rationem

nem

nem aliquando reddere tenentur, parentes autem pro arbitrio de bonis suis disponere possunt, quamquam & hic sic agere eos oporteat, ut liberorum commoda non negligantur.

## §. CXXVIII.

Officia liberorum.

*Quamdiu liberi sub potestate patria existunt, parentibus omnia illa officia debent, quae illi ex jure dominii & educationis exigere possunt. (§. 127.)* Huc vero pertinet,

1. *Ut summo honore parentes prosequantur.* Exod. XX. 12. Deut. V. 16. Prov. XX. 20. Mal. I. 6. Matth. XV. 4. Eph. VI. 2. Quatenus enim a parentibus geniti & nati sunt, vitam illis debent, & in iis imaginem creatoris agnoscant, necesse est. Quia vero cultus alicui deferendus merita supponit, liberi animo suo diligenter volvant, quanta in se parentum merita extent, intuentes illorum curam, quam sustentationi & educationi impenderunt, & amorem, quo ipsos sine ulla spe lucri aut commodi amplexi sunt.

2. *Hujus amoris & laboris consideratio simul est gravissima ratio, parentes diligenti, & cum maxima beneficia ab illis acceperint, qualia sunt vita, sustentatio, & educatio, illis etiam gratissimum animum debent.* (§. 108, 125.) Rom. XIII. 9. Phil. II. 22. Prov.

Prov. XV. 20. XIX. 26. Sir. III. 14. 18. VII. 29.

3. Qui vero parentes ita diligunt, nihil agent, quod illis displicere norunt. Hæc animi dispositio dicitur timor. (§. 76.) *Ergo & liberi parentes suos timere debent.*

4. Hic timor involvit studium, ea faciendi, quæ parentes a liberis fieri volunt. Quod studium eo magis necessarium est, cum liberi in dominio parentum existant, & cura educationis sine imperio in liberos cogitari nequeat. *Hinc & liberi parentibus omnem obedientiam præstare obligantur.* Deut. XXI. 18. seqq. Prov. I. 8. VI. 20. Eph. VI. 1. Col. III. 20.

5. Cum liberi, quamdiu minorennitas durat, non sint sui juris, sed in dominio parentum existant, qui propterea de actionibus liberorum disponere possunt, id quod etiam parentibus ex jure educationis competit. (§. 126.) *liberi nullum negotium sine consensu parentum conficiant, multo minus cum aliis paciscantur, sed in rebus omnibus consilium parentum audiant, & illorum voluntatem sequantur.* Gal. IV. 1. 2.

6. Quia vero liberi sunt homines, & mediante baptismo Christiani, ideoque certa jura sibi concessa habeant, quæ ab humana natura separari nesciunt, & præterea ad officia tum hominis tum christiani æque obligantur, ac alii homines;

*Schub. Theol. Moral.*

Ff pa-

parentibus autem nullum jus competit, quicquam de liberis statuendi, quod his juribus aut officiis contrarium foret. (§. 126.) *liberi non tenentur ea prestare, quae prestare nequeunt salvis suis juribus & officiis, etiam ea parentes exigant.* Gen. II. 24. XXXI. 14. 15. 16. 1. Sam. XIX. 11. 12. 13. Matth. X. 37. Luc. XIV. 26.

7. Cæterum quamvis jura parentum expirent, postquam liberi majorennitatem consecuti sunt, (§. 127.) tamen cum a parentibus vitam aliaque beneficia acceperint, quibus si caruissent, aut pereundum aut misere illis vivendum fuisset, *reverentia, amor, gratus animus, timor, & obsequium erga parentes nunquam cessare debent.* 1. Reg. II. 19. Jo. XIX. 26. 27.

Quemadmodum officia in PERFECTA & IMPERFECTA dispesci solent, & ea, quae olim erant perfecta, aliquando imperfecta commutari possunt, ita & liberorum officia, quae interveniente majorennitate expirare diximus, tantum perfecta esse desinunt, ut imperfecta autem perdurare debent. Cujus rei causa hæc est, quia existente dominio parentum & officio liberos educandi multa vi extorqueri possunt, quae elapso minorennitatis tempore tantum a libera illorum voluntate ex capite reverentiæ, amoris, & gratitudinis expe-

expectantur. Fieri tamen potest, ut quæ olim erant perfecta officia, in statu majorrennitatis ne quidem imperfecta sint. Sic ex. gr. liberi minorenes perfecte obligantur, omnia refecare pacta, quæ sine consensu parentum percusserant. Sed sublata patria potestate ad hoc genus actionum ne quidem imperfecte obligantur. Ut officia reverentiæ, amoris, & timoris a liberis sponte præstentur, ipsis parentibus in suo cum liberis agendi modo omni circumspetione & prudentia utendum est. Hinc & suas infirmitates coram liberis diligenter occultent, amorem & studium suum in eos semper demonstrent, etiam cum forte pœnis, minis, & objurgationibus cœrcendi sunt, caveant, ne aliquod adversus se odium aut majorem erga alios liberos amorem præsumant, si quid præcipiunt aut prohibent, virium, quæ in liberis sunt, habeant rationem, causas suarum legum illis exponant, nec nimis molesti sint liberis, &c. Etiam si vero & hac in re aliquid humani parentes paterentur, liberi tamen a suis erga eos officiis minime liberantur. Hæc adeo sancta sunt, ut nulla specie violari possint. Nam 1. hac de re gravissimum extat præceptum, amplissima promissione communitum; Exod. XX. 12. Eph. VI. 1. 2. 3. 2. Quando Deus efficacissimo ipsum diligendi & timendi

mendi motivo uti vult, sibi dulcissimum patris nomen imponit, & homines suos liberos vocat, *Jes. I. 2. Mal. I. 6. Matth. VI. 8. 9. 32.* quo ipso significat, nihil turpius esse, nihilque a natura magis abhorrere, quam parentes non diligere, nec timere; 3. Tanta sunt parentum in liberos merita, tantus amor, tanta beneficia, prorsus immerita & ab omni spe lucri remota, ut, qui his se flecti non patitur ad reverentiam, amorem, & obsequium, nulla re moveri possit; 4. Hinc & liberi, qui obstinati & morosi fuerunt erga parentes, prorsus degenerant, omnia legum divinarum & humanarum frena frangunt, nullam obligationem admittunt, & communes humani generis hostes, omniumque ordinum & societatum turbatores fiunt; 5. Propter hanc turpitudinem Deus quoque liberis, qui parentes suos contempserunt, omnis generis mala comminatus est, & plerumque in hac vita vindictam ab iis sumit. *Prov. XX. 20. XIX. 26.* 6. Ad hæc motiva quoque referri potest exemplum Christi, qui licet ipse verus esset Deus, in statu exinanitionis tamen parentes suos colebat, illisque obedientiam præstabat. *Luc. II. 51.* Denique 7. cum Deus a fidelibus coli vult, quemadmodum parentes a liberis coluntur, *Rom. VIII. 11.* nemo autem hunc Deo cultum exhibere potest.

potest, qui officia erga parentes naturales negligit, inde novum motivum summi in parentes studii peti potest. Si quid forte denegandum foret parentibus, aut quia in se injustum est, aut quia salvis gravi- oribus officiis præstari nequit, quod illi poscunt, illud cum summa reverentia, modestia, & animi officiorum filialium observantissimi contestatione fiat. Juri quoque suo liberi quandoque renuncient, si ita ferat parentum voluntas, etiamsi aliquid habeat iniquitatis. Cæterum autem ab hisce officiis nullo tempore recedant, 1. ut eos diligant, & si qua re possunt, eos libenter juvent, præsertim si senio con- fecti sint, & paupertate laborent; 2. ut eos reverenter colant, infirmitates eorum tolerant, seque illis vitam & felicitatem debere quavis occasione significant; 3. ut pro iis apud Deum intercedant.

§. CXXIX.

Nexus inter dominum & servum dicitur SOCIETAS HERILIS. Quemadmodum autem SERVVS ille est, qui suis viribus in aliorum utilitatem pro illorum arbitrio uti tenetur, ita DOMINVS appellatur, qui jure gaudet, aliorum viribus in suam utilitatem pro arbitrio utendi. Quodsi ergo justum est, virium suarum usum alte-

Societas herilis.

Ff 3 rius

rius arbitrio ita subicere, ut ille lucrum & emolumentum ab eo pendens solus percipiat, societas herilis non est improbanda. At vero fieri potest, ut quis mediis destituatur, quibus ad vitæ sustentationem opus est, vires autem habeat, suo labore aliorum commodum promovendi, & hoc medio alimenta aliasque res necessarias ad hanc vitam pertinentes sibi comparare possit. Cum igitur quisque obligetur, vitam suam conservare, & necessarias opes acquirere, ideoque illis uti mediis, quæ in sua potestate habet, (§. 93. 94.)

1. *Societas herilis non potest esse illicita.* Quæ res eo magis dubio caret, cum sanctissimi homines servos sub suo imperio habuerint, Apostolus dicat, eum, qui in statu servitutis existens vocatus fuerit, eum deserere non debere, 1. Cor. VII. 20. 21. 22. & divinæ leges extent, quibus officia dominorum & servorum determinantur, Eph. VI. 5. 9.

2. Quia vero naturalis conditio eadem est in omnibus, atque ille, qui sua inopia servire cogitur, non minus huic, quam alii domino servire potest, *fundamentum societatis herilis nihil aliud esse potest, quam pactum spontaneum.*

3. *Quemadmodum igitur pacto illo conditiones hujus societatis determinantur, ita* Eodem

*eodem jura & officia utriusque partis dependent.*

4. Ratio, cur quis de servitute sua cum aliis paciscatur, est propria indigentia, & impossibilitas, vitam suam alio modo sustentandi. Intendit ergo alimentorum aliarumque rerum, quæ huic vitæ inserviunt, legitimam comparationem. Ille vero, qui servitutem sibi oblatam recipit, & pro ea aliquid opum suarum in alios transferre promittit, suam utilitatem aliorum labore promoveri cupit. *Finis ergo societatis herilis est & servorum sustentatio, & dominorum utilitas.*

Quamquam libertas insigne & minime contemnendum Dei beneficium est, quo quemque frui oportet, qui potest, 1. Cor. VII. 21. tamen cum divinæ sapientiæ consentaneum videretur, ut alii essent divites, & alii pauperes, Prov. XXII. 2. quorum hi non nisi membrorum suorum usu, illi vero suis opibus aliorum felicitatem promovere possunt, atque hæc donorum differentia ad arctiores hominum nexus non parum faciat, nemo non videt, societatem herilem divinis finibus convenire. Pactum, quo nititur societas ista, non semper est immediatum, ab iis percussum, qui aliis serviunt, sed quandoque a majoribus ad eos translatum. Nam quemadmodum

pacto genus laboris, tempus servitutis, & commoda inde percipienda determinantur, ita nec impossibile est, ut quis de perpetua servitute cum alio paciscatur, cui se & liberos suos submittit. Equidem in hoc servitutis genus nemo facile consentiet, quamdiu dominum invenit, qui temporaria servitute contentus est. Et quoniam illud nimis durum est, christiani autem ad opera charitatis & misericordiae obligantur, ideoque sub æquissimis conditionibus alios juvare debent, (§. 107.) hoc servitutis genus christianis gentibus indignum videtur. Si tamen casus ita ferat, ut vitæ sustentatio non nisi perpetuæ servitutis sponcione redimi possit, eam offerre nemo prohibetur. Cura enim vitæ conservandæ sine dubio potior est obligatione, libertatem retinendi. (§. 93.) Hinc & ejusmodi servitutum Deus in populo suo toleravit, Exod. XXI. 5. 6. Et in novo testamento eam continuari jubet Apostolus, si quis ante suam conversionem in ea jam extiterit. 1. Cor. VII. 20. Quemadmodum autem quisque suæ libertati nuncium mittere potest, ita & parentes, qui liberos in dominio suo habent, & jure gaudent, de illorum actionibus & fatibus disponendi, (§. 126.) de illorum servitute pacisci possunt. Exod. XXI. 4. Qui lautioris sunt fortunæ, servitium oblatum ac-  
 ceptæ

ceptare, aut sibi conducere minime dubitent. Hoc enim medio occasionem nanciscuntur, pauperibus de victu & amictu prospiciendi. Et quamvis miseri beneficiis juvandi sint sine ulla spe lucri aut remunerationis, hoc tamen de illis tantum intelligi debet, qui nihil habent, quod reddant. Sin vero & robusti homines gratis alerentur, qui, si labor in aliorum utilitatem deesset, otio indulgerent, & illorum impediretur officium, proprio labore victum sibi comparandi, & occasio, tempus perdendi, malisque operibus vacandi, illis subministraretur, quod certe iniquum foret. Eph. IV. 28. Matth. XX. 3. seqq. Accedit, homines melioris fortunæ negotiis publicis plerumque distractos, aut viribus destitutos esse, ut labores ad rem domesticam pertinentes ipsi sustinere nequeant. Hi dum aliis inserviunt, cur ferre non debeant, ut ab aliis sibi rursus alio laborum genere inserviat, haud video.

§. CXXX.

Cum societas herilis pacto contracta sit, (§. 129.) ex pacto autem non tantum jus, ea, quæ ab aliis promissa sunt, exigendi, sed etiam officium, quod ipsi promissimus, fideliter adimplendi oriatur, (§. 104.) sequitur,

Jura & officia dominorum.

I. Do-

1. Domino jus competere, illos labores a servis postulandi, de quibus pacto conventum est; (§. 129.) Luc. XVI. 2. Matth. XXV. 19. seqq.

2. Ex altera autem parte simul obligari dominum, ad commoda servis conferenda, quae illis pacto promissa erant, praecipue mercedem & alimenta; (§. 129.) Matth. X. 10. XX. 8. Luc. XVII. 7. 8. 1. Cor. IX. 9. 1. Tim. V. 18. Jac. V. 4.

3. Quia vero aliis hominibus, cujuscunque sint conditionis, multa charitatis officia debemus, (§. 99. seqq.) huc vero sine dubio servi quoque pertinent, quos Dominus propter singularem nexum in societate herili praecipue sibi commendatos habere debet, nec pleno jure suo utatur dominus, si forte legi amoris repugnet, nec in officiis pacto sibi impositis subsistat, sed quod proximo praestandum esse vidimus intuitu animae, corporis, opum, famae, in conversatione &c. (§. 100. seqq.) eo magis praestet servis, cum eis imperio & curae suae subiectos habeat. Deut. V. 14. Matth. VIII. 6. Eph. VI. 9. Phil. v. 16.

4. Inprimis servi ad illud hominum genus pertinent, qui magna miseria laborant. Nam & paupertate premuntur, nec habent, quo vitam suam sustentare possint, & libertati suae renunciarunt, ut necessaria alimenta honeste & legitime sibi compararent. *Hinc domini misericordia,*

*nitati*

nitate, & humanitate cum servis utantur, onera & labores eorum temperent, illorum curam gerant, & citra meritum quoque eos juvent, quantum possunt. (§. 107.) Eph. VI. 9. Col. IV. 1. Jac. II. 13.

5. Quia vero domini imperium habent in servos, & societas herilis, a qua hoc imperium dependet, a Deo approbata est, imo Deus res humanas pro sapientia sua ita gubernat, ut alius sit dominus, & alius servus, (§. 129.) domini imperium hoc, suum abjicere nequeunt, sed potius ea peragere debent, quæ ad illud spectant, qualia sunt, superioritatem & auctoritatem suam tueri, servos ad implenda sua officia cogere, rationem operum & laborum pascere, &c. Mal. I. 6. Luc. XVI. 2. Matth. XXV. 19. seqq.

Officia dominorum erga servos duplicis sunt generis. Alia dependent a pacto, alia a communi lege amoris. Et hæc posteriora quandoque limitant jura dominorum, ut non liceat omnia facere, quæ alias vi pacti facere possent. Hæc autem officia charitatis ut & servis domini sponte præstent, cogitent, 1. *communem* utriusque esse naturam & originem; 2. *immensum* Dei amorem in servos quoque effusum esse; 3. *Pro iis* etiam Christum esse mortuum, illisque eandem felicitatem esse paratam; 4. *servos* esse membra Ecclesiæ, & hinc

hinc fratres in Christo; 5. *divina* providentiæ opus esse, quod nos simus domini, & alii nobis serviant; 6. *fortunam* esse mutabilem, nos esse homines, nihilque humani a nobis alienum esse putandum, & hinc, quod nobis fieri velimus, id & aliis faciendum; 7. *miseram* esse servorum conditionem, quæ novis afflictionibus augeri non debeat; 8. *amorem* & fidelitatem servorum excitari, si dominorum in se studium videant; 9. *nos tantum* esse administratores nostri famulitii, quos Deo supremo omnium domino rationem aliquando reddere oporteat, quam considerationem Apostolus præcipue urget, Eph. VI. 9. Col. IV. 1. 10. *in equalitatem* status aliquando sublatum iri, cum Christus ad iudicium venturus est, & tunc gloriam servorum forte majorem fore gloria dominorum; 11. *Denique* nos omnes esse servos Dei, ideoque hujus domini exemplum imitandum. Luc. XVI. 1. seqq. XVII. 7. seqq. Matth. XXV. 14. seqq. Si vero opera charitatis negligi non debent, quanto magis adimplenda erunt officii necessitatis! Alimenta igitur domini servis porrigant, quæ sunt sana & sufficiunt, mercedem solvant, laboribus contenti sint, de quibus conventum est, justo tempore eos dimittant, si dimitti velint. Nam  
I. qui hæc negligit, servum suum lædit & pacti

& pacta violat. (§. 99. 104.) 2. Hanc læsionem infert miseris, & hinc crudelitatem exercet, cui Deus crudele iudicium iterum comminatus est; Jac. II. 13. 3. denique istæ læsiones pertinent ad peccata clamantia, Jac. V. 4. quæ & in hac vita Deus singulariter ulcisci solet.

§. CXXXI.

Servi vicissim pacti sunt cum dominis Officia servorum.  
de certo laborum genere, in illorum utilitatem pro mercede & alimentis præstando. (§. 129.) Cum ergo pacta servanda sint, (§. 104.)

1. Opera, quæ promiserunt, cum omni studio & diligentia perficiant, nec suæ sed dominorum utilitati operam suam navent; Eph. VI. 5. 6. 7. 8. Col. III. 22. 23. 24. Luc. XVI. 1. sqq.

2. Alimentis & mercede sibi promissa contenti sint; Matth. XX. 13.

3. Et quoniam inopia & necessitate ad acti statum servitutis elegerunt, hominum autem fata a directione & voluntate Dei dependent, (§. 129.) in sua quoque sorte acquiescant, nec meliorem dominis inuideant; 1. Cor. VII. 20. 21. 22.

4. Imperium, quod domini in servos habent, pacto nititur, ideoque non tantum iuste comparatum, sed etiam divina societatis herilis approbatione firmatum est. (§. 129.) Cum igitur domini sint servorum

vorum legitimi superiores, iusto imperio armati, *hi quoque omnem reverentiam & obsequium dominis suis præsent, nec sint morosi aut obstinati, etiamsi duriores haberent dominos; (§. 106.) Eph. VI. 5. Col. III. 20. 1. Pet. II. 18. 1. Tim. VI. 1.*

5. Nec minus servi sciant, dominos suos esse benefactores. Cum enim ipsi non habeant, quo se sustentare possint, illis pereundum esset, nisi dominum invenirent. *Ex hac causa dominos suos diligere, eos grato animo prosequi, & pro iis orare debent; (§. 108.) 1. Tim. XI. 2.*

6. Cæterum cum officia erga proximum ad servos quoque pertineant, & hi dominis suis ob singularem nexum & dependentiam singulariter obstricti sint, *servi quoque ea omnia dominis fideliter præstare debent, quæ §. 99. seqq. de officiis erga alios tradita sunt, hinc ab omni læsione & damno dominis inferendo sibi caveant, eorum utilitatem promoveant, vitam, honorem, & opes tueantur, & ultra mensuram eorum, quæ pacto sibi imposita esse sciunt, illis inserviant.*

Horum officiorum alia ex pacto concipiuntur, & vi extorqueri possunt, alia vero a propria utilitate dependent. Qui vero doctrinam Christi sequuntur, hæc omnia propter Dominum faciunt. *Eph. VI. 5. seqq. Col. III. 22. seqq. 1. Tim. VI. 1. 2. 1. Pet. II. 18. 19. Propter Deum autem dominos suos colunt, diligunt, juvant, iisque*

iisque inserviunt, dum cogitant, 1. esse Dei voluntatem, ut in statu servitutis existant; 2. Deum cuncta videre, & ubique presentem esse; 3. Christum propter nos pauperem factum esse, & aliis sponte ministrasse; 4. *fidei* sua opera religionis christianæ præstantiam celebrari posse; 5. *servire* se ipsi Deo, cui aliquando reddenda sit ratio; 6. *Et* hos labores divinis præmiis aliquando non carituros esse.

§. CXXXII.

Ex his tribus societatibus, conjugali ni- Familia.  
mirum, paterna, & herili, *FAMILIA* componitur, (§. 113.) ita tamen, ut & ex omnibus tribus, & ex duabus tantum constare possit. Ita autem uniendæ sunt societates istæ simplices, ut singularum jura & officia, a Deo quippe approbata & injuncta, salva & illæsa maneant. Ergo

1. *Finis earum ultimus, qui est cultus Dei,* (§. 7.) ab omnibus societatum membris in oculis ferendus est, nihilque tolerandum, quod pietatem erga Deum impediret. Act. X. 2. XVI. 31. 34.

2. *Officia membrorum cujuslibet societatis in familia ita sunt determinanda & limitanda, ut nullius finis immediatus impediatur.*

3. Hinc non tantum opus est legibus, sed etiam capite & direttore familiæ, qui *PATERFAMILIAS*, aut, si persona sexus sequioris fuerit, *MATERFAMILIAS* appellatur.  
Penes

Penes patremfamilias igitur sit imperium & gubernatio totius familiae. Hoc imperium cum nulli alii subordinatum esse possit in familia, sine dubio ad eum pertinet, qui alii membro familiae subiectus esse non potest sine iurium suorum violatione. Jam vero in societate paterna imperium competit utrique parentum, (§. 126.) in conjugali marito, (§. 120. 121.) & in herili domino (§. 130.) *Quodsi ergo maritus & pater simul sit dominus, ille esto paterfamilias. Sin vero maritus & pater sit servus, ipse est sub imperio domini, & tunc huic jura patrisfamilias competunt, etiamsi nec maritus nec pater esset.*

4. Jura autem, quae a patrefamilias exercentur, in diversis societatibus diversa sunt, & a natura imperii in iisdem dependent. *Hoc unicum saltem accedit, quod paterfamilias, ut talis, ordinem praescribere, & efficere possit, ne una societas alteri noceat, sed potius singulorum officia communem omnium utilitatem promoveant.*

Jura & officia patrisfamilias ex juribus & officiis mariti, patris, domini determinanda sunt. Et si quid novi juris vel officii accedat, id a relatione societatum ad se invicem & illarum unione dependet. Hoc imprimis pertinet cura cultus Dei domestici, qua familia in Ecclesiam convertitur, Phil. v. 2. & quae ita exerceri debet, ne conscientiae vis inferatur, 1. Cor. VII. 12. 13. 1. Tim. VI. 1. 2.

